



32







De

**Libertate Conjugis infidelis,**

**Factae fidelis,**

**Si infidelis alter recuset cohabitare  
pacifice nec sine contumelia**

**Creatoris.**

---

*Quaestio retractata*

a b

**ANTONIO JOSEPHO BINTERIM,**

**Ss. Theologiae Doctore, Equite pontificio aurei calcaris, socio  
Academiae Romanae ac Parocho in Bilk et Suburbio  
Dusseldorpiensi.**

---

**CONFLUENTIBUS,**

**Typis et Sumptibus Rudolphi Friderici Hergt.**

**MDCCCXXXIV.**

K.R. 32  
23

Imprimatur Coloniae 50ma. Decembris 1853.  
Hüsgen,  
*Vicarius in spiritualibus generalis.*



**P a t r i**

*Summe Venerando*

**Doctissimo Clarissimo**

**JOSEPHO BRUNATI**

**Societatis Jesu**

*Præsbytero Theologo*

**In Collegio Romano Ss. Scripturae  
Professori**

**De Religione Revelata optime  
merito**

**Hanc quaestionem retractatam**

**D. D. C.**

**Auctor.**

Part 1

Summe der Jahre

Bestimmte Christen

JOSEPHUS FLAVIUS

Antiquitates

Historiae

in Collegio S. Marci de Brevibus

Historiarum

De Religionis Reformatione

liber

Hanc dissertationem retractata

D. R. C.

Amstelredamum



**Q**uid causae me impulerit ad quaestionem hanc retractandam, retractatam publice edendam, docebit Te, Amice summe venerande colendissime! pagina sequens. Materiam eandem non solum ad incudem revocando iterum iterumque tracto, sed priora asserta confundendo meliora propugno ac memet ipsum reprehendendo veraciter retracto, secutus germana sinceritate exemplum S. Augustini, qui duos libros *Retractationum* scripsit, et in ipsis censorio stilo denotavit, quod ipsum offendit. *Neque enim quisquam, nisi imprudens, ideo quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit*, scribit S. Doctor in prologo Libri I. *Sed si dicit, non ea debuisse a me dici, quae postea mihi etiam displicerent: verum dicit et mecum facit. Eorum quippe reprehensor est, quorum et ego sum.*

Cur autem Tibi hanc inscribo lucubrationem, facit intima quam multis annis colli-

mus, amicitiae necessitudo; facit gratitudinis officium, quo me Tibi obligatum agnosco pro Tuis mihi missis litterariis donis ac opusculis, quorum ultimum *Della Diffusione della Rivelazione fra le Nazioni gentilesche prima della venuta de Gesu Christo* nuper duo ex Discipulis Tuis mihi tradidere; facit tandem et lingua, qua scripta est haec lucubratio latina, cum difficulter linguam intelligis germanicam, qua hodie solent in Academiis hujatibus praelegi ac typis publicis edi Tractatus theologici, non nunquam in detrimentum Exterorum: sic enim Nostris tantum, non omnibus scribimus Germani Theologi.

Accipias igitur manu benigna hoc Symbolum amicitiae, debitum gratitudinis Tesseramque charitatis qua Te amplector, meque Tuo amore dignum judices, velim.

*Scribendam Kalendis Novembris MDCCCXXXIII.*

De

**Libertate conjugis infidelis factae  
fidelis,**

Si infidelis alter recuset cohabitare pacifice,  
nec sine injuria Servatoris,

***Quaestio retractata.***

---

**E**rrare humanum est, ut ait S. Hieronymus \*), et confiteri errorem, prudentis. Igitur si quid humani passus sit scriptor, errorem publice spargendo, prudentiam amplectatur oportet, hunc publice confitendo ac revocando. Diluit enim maculam errantis libera erroris confessio et bonam contestatur scriptoris mentem praematura revocatio. Impune, judice Tertulliano \*\*), erratur, nisi delinquatur, quamvis errare, delinquere est. Sed tamen eo lenior indulgentiorque judicatur lapsus, quo gravior difficiliorque ea, quam tractat, est materia.

---

\*) Epist. 57. ad Pammach. Tom. I. edit. II. Veronens. quator, pag. 517.

\*\*) De praescript. Cap. 11. Tom. II. edit. II. Hallens. pag. 12.

Quodsi igitur quaestionem de conjugiiis obscurissimam esse et implicatissimam, magnus confessus est Augustinus, nec ausus profiteri, omnes sinus ejus se posse explicare<sup>1)</sup>: quis nostrum absque offensionis periculo omnia, quae sine fine nectuntur, se solvere posse arbitrabitur dubia, aut omnes vexatissimi hujus argumenti feliciter percurrere anfractus? Si in levibus tam facile fallimur aut nos ipsos fallimus: quid in arduis?

Noscit sine dubio, quisquis nostri operis archaeologici legerit Mantissam I. Tom. IV. P. I., quod aliquam, non quidem decisive, immo potius, ut recte observavit censor in *Weissii* Ephemeridibus catholicis spirensibus<sup>2)</sup>, tantum problematice proposuerimus de minime solvendo inter dispares conjugio sententiam, si pars infidelis alteri factae fidei recuset cohabitare pacifice, vel non sine injuria Servatoris aut contumelia religionis. Relicta enim communi antiqua, quae hucusque vixit canonistas inter et Theologos sententia, secuti sumus viros recentiores nonnullos, in fronte Mantissae nominatos, qui in Gallia ac Germania laudantur fama doctrinae theologiaeque eruditionis<sup>3)</sup>; praecipue

<sup>1)</sup> Libr. I. de adulterin. conjugiiis Cap. 25. Tom. VI. edit. Maurin. pag. 405.

<sup>2)</sup> Conf. Katholick. Eine religiöse Zeitschrift. Speyer. 1831. III. Heft. pag. 375.

<sup>3)</sup> Eandem sententiam novissime amplexi sunt *F. Walther*, Professor Bonnensis in dem Lehrbuch des Kirchenrechts. v. edit. §. 529. pag. 607. — *G. D. Berg Monasteriensis* in der dogmatisch-kirchenrechtlichen Abhandlung über I. Cor. VII. 13. — Antiquam interim defendunt senten-

quia probabiliorem putabamus illorum interpretationem classici thematis paulini I. Corinth. VII, 13. et constantiorem Ecclesiae patrum traditionem. Verum *erubescit quamvis praeclara doctrina*, ut iterum S. Hieronymus scribit \*), *quam propria reprehendit conscientia* et mox fallax convincitur, si menti adversetur Ecclesiae catholicae, cujus est interpretari authentice sacram scripturam lineamque dirigere traditionis. Cautè quidem in dicta Mantissa notavimus, quod hac de quaestione neque in generalibus neque in particularibus conciliis mota fuerit controversia, multo minus causa decisa, quare liberum cuique esse opinabamur sequi sententiam sibi probabiliorem. Proponentes argumenta utriusque partis, tandem ad illam potius inclinavimus partem, quae indissolutionem hujusmodi matrimonii defendere conatur. Sed viam rectam non ambulavimus et in dubio interrogare ducem ecclesiasticum oblitus sumus. Quid igitur? En beneficium erga scriptorem in Germania infimum singulare summi Ecclesiae Catholicae Capitis Doctorisque irrefragabilis, cui Dominus noster Jesus Christus iturus ex hoc mundo in div. Petro munus demandavit confortare fratres, pascere agnos et oves, devios revocare, docere omnes! En Benevolentiam Sanctissimi Patris, Domini nostri Gregorii summi Pontificis hoc nomine XVI. erga me nullis laudibus satis celebrandam! Com-

---

tiam Cla. Lippert in den kirchenrechtlichen Annalen. I. Heft et Dr. Lang in recensione Tubingensi Diss. Dni Berg. Vide Quartalschrift von Tübingen 1850. IV. Heft. pag. 746.

\*) Epist. 127. ad Principiam Tom. I. pag. 955.

moneri etenim me jussit Sanctissimus Pater litteris a Domino Carolo Vizzardellio Secretario exaratis die VI. Kalend. Octobr. 1852., quod assertio mea de conjugio dispari sit contraria praxi Ecclesiae ac decretis summorum Pontificum. Vidi illas litteras, legi et priorem sine mora rejeci ac revocavi sententiam, memor dicti S. Augustini<sup>\*)</sup>, quod illi revera pertineant ad Ecclesiam, qui aedificant in petram, non qui in arenam. Videatur declaratio pro coronide adjecta ultimae totius operis parti. Placuit haec sincera nec cunctata revocatio Sanctitati suae, et litteris manu, quam osculari nunquam cessabo, propria subscriptis die 10. Julii hujus anni 1853. innuere non dedignatur, quod, ubi occasio tulerit opportuna, strenuum contrariae doctrinae defensorem agere minime negligerem. Nuntus hic mihi summa gloriatio; votum hoc mihi justio suavissima annusque revocationis maxime opportuna occasio retractationis, praesertim quia Sanctissimus Pater me qua agam, docuit methodum ac argumentum, quo struam retractationem, proposuit. Cur cunctabo? Revocare sententiam semel publice assertam, ardua res est scriptori, dixere nonnulli; — mihi sub tanto Doctore levis erat: retractare et contrariam astruere, multo difficilior; — mihi hac ostensa via perquam facilis. Reprehendant me licet ac censoria virga perstringant, quicumque volunt, nostrae aetatis heroes; majores appello, qui me multo doctiores ac clariores cum erraverint, erro-

\*) Epist. contr. Donatist. sive libr. de unitate Ecclesiae Cap. 21. Tom. IX. pag. 379.

rem revocarunt publiceque retractarunt \*). *Acutissima enim et excellentissima ingenia, ut fatetur S. Augustinus \*\*), tanto in majores errores ierunt, quanto praesidentius tanquam suis viribus cucurrerunt. Porro junioribus spero fore ut exemplum praebeam et lapsu meo et retractatione mea, qua securiori in posterum hac in quaestione procedant tramite quove duce.*

Primo igitur retractabo classicum illum S. Pauli ex prima ad Corinthios epistola Cap. VII. locum, et demonstrabo, ecclesiasticae sententiae eum potius favere, quam alteri recentiori:

II. An ex scriptis Ss. Patrum quid certi in hac materia erui possit, quaeram.

III. Instruam argumentum in re hac dubia ex praxi Ecclesiarum, et praecipue Ecclesiae Romanae nec non ex decretis Pontificum Romanorum.

## Caput I.

*Classicus I. Corinth. VII, 12 — 17. retractatur locus.*

I. In divi Apostoli Pauli Epistolis quaedam esse intellectu difficilia, ipse monuit Apostolorum

---

\*) Conf. Theotimi Eupistini de doctis catholicis viris, qui cl. Justino Febronio in scriptis suis retractandis ab anno 1380. laudabili exemplo praeiverunt. Liber singularis. Romae 1791. — Librum alterum nunc quis conficere posset de iis, qui post Justin. Febronium claruerunt; Bibliothecam tandem de iis, qui priorem melius edocti mutarunt sententiam.

\*\*) Epist. 155. N. 5. Tom. II. pag. 558.

Princeps S. Petrus II. Epist. III, 13. Quae inter difficilia et merito recensetur locus ex I. Corinth. Epistolae VII. in quo ipse agit de Conjugio infidelis cum fidei. Densa isthic caligo praecipue ex defectu oritur epistolae, quam interrogatoriam Corinthii miserunt divo Paulo. Haec an ab ullo unquam veterum fuerit lecta, dubitatur. Certo nemo Patrum de ea aliquam mentionem facit. Hinc responsiones cum interrogationibus conferre non possumus, nec scimus, quot posuerint Corinthii ad Paulum quaestiones. Divinamus omnes et alter altero sapientior quaestiones et responsiones discernere putat et explicare. Unde quaestionum varia dissectio et responsionum. Quae nobis probabilior apparuit, diximus in ipsa Mantissa. — Secunda obscuritas nascitur ex interpunctione ipsius textus, cum alii nonnulla verba ad priorem referant periodum, ad posteriorem alii, unde et diversus iterum unius ejusdemque commatis sensus, de quo inter alios consuli potest Cornelius a Lapide ad versum 12. Maxima autem est difficultas in recta verborum interpretatione sensusque cognitione. An nempe S. Apostolus fidei neoconversae parti casu, quo pars altera infidelis non vult in pace cohabitare aut non sine contumelia creatoris, dissolutionem non solum quoad thorum et cohabitationem concedat, sed etiam quoad vinculum ita, ut vivente adhuc infideli conjugee, novum inire valeat matrimonium. »Crucem illa, inquit Wolfius in Curis philolog. ad h. l. interpretibus ex eo fixerunt, quod Dominus noster Matth. XIX, 9. solum adulterium divortii faciendi potestatem facere asseveret, hic autem *malitiosa desertio*



alteri illi, ceu causa non minus gravis et idonea adjungatur. Quod cum pugnam aliquam inter Dominum nostrum et Paulum inferre videatur, alii quidem desertionem illam malitiosam pro causa legitima divortii hic afferri negant, alii vicissim affirmant.

Verum enim vero juxta alios non solum malitiosa desertio, sed etiam ex parte infidelis non pacifica cohabitatio vinculum rumpere valet conjugii, in quo maximum pro parte fidei consistit privilegium, ut non cogatur maximo eum fidei suae dispendio conscientiaeque periculo tanquam conjugalis servire alteri ligitanti, vexanti, blasphemanti. Effugere tunc potest ipse fidelis, relicta infideli quam fugam nemo sanus desertionem malitiosam dicere potest, cum causam dissensionis non praebet pars pacifica, sed ligitiosa.

Status quaestionis, quae nos nunc vexat, incipit quidem versu duodecimo, sed ubi desinat, non ita constat; duplicemque continet partem, cujus prioris accurata est resolutio. *Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si quae mulier fidelis habet virum infidelem et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* En primae partis resolutionem. Mutata in melius unius conjugis religio non solvit vinculum prius initum, immo spem facit, fore ut et

conjux infidelis, cognita veritate, per fidelem lucretur, saltem filii ex mixto hoc conjugio nati regeneratione sanctae gremio Ecclesiae adscribentur. Vel ut interpretatur hunc textum S. Primasius: »Saepe contigit, ut lucrifieret per mulierem vir. Ideo ait b. Petrus, ut si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem, sine verbo lucrifiant, et cum viderint ex ebriosis sobrias, ex superbis humiles, dicant: vere lex Dei est, quae sic potuit mutare inolitos. Credo, jam provenerat, ut nonnullae foeminae per viros fideles, et viri per uxores fideles in fidem venirent: et quamvis non dicens nomina, exemplis est tamen hortatus ad confirmandum consilium suum. *Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Si ambo infideles essetis, necessario filii vos imitarentur: nunc autem forsitan fidelem imitantur et sancti sunt; quia etiam si de duobus fidelibus nascentur, sic nascuntur, tanquam si oleaster ex oliva. Oleastrum dico propter originale peccatum, et propter hoc sunt sub diabolo, nisi renascantur in Christo: quia diabolus culpae autor est, non naturae. Jam credo, quod erant parvuli Christiani, qui sive autore uno ex parentibus, sive utroque consentiente sanctificati erant, quod non fieret, si uno credente dissociaretur conjugium \*).

Alteram vero partem brevibus concisisque definit verbis. *Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujus-*

\* ) Commentar. in I. Epist. ad Corinth. Tom. VI. P. II, Biblioth. Patrum Coloniens. pag. 57.

*modi: in pace autem vocavit nos Deus. Unde enim scis, mulier, si virum salvum facies? Aut unde scis vir, si mulierem salvam facies?* Hic nodus est Gordius, de quo anguntur interpretes. Primo quaerunt, an de uno infideli haec verba, *si discedit, discedat* Apostolus velit intelligi an de utroque fideli nempe et infideli. In primo casu est: si infidelis deserat fidelem: quae culpa fideli? Impedire non potest hanc desertionem; igitur per ipsum discedat infidelis. Sed rem accuratius perpendentes ac haec subsequencia verba cum prioribus comparantes, continuatam observamus antithesim, ita ut infideli contraponat fidelem: quasi diceret: si infidelis discedit, fidelem omnino deserendo, non necesse est ut propere insequatur eum fidelis; aut si discedit infidelis male tractando fidelem huicque ansam fugae praebendo, discedat fidelis. Quod cum S. Augustino, Theodoro ac Theophilacto plerumque nostri interpretes sic construant sensum, observavimus in Mantissa. Sed etiam magnus Scripturae interpres Hieronymus favet huic constructioni; ait enim libr. I. contr. Jovinian. N. 40 \*). «E contrario jubet si infidelis repudiet fidelem propter fidem Christi, discedere debere credentem, ne conjugem praeferat Christo, cui etiam anima postponenda est.» Interim quaecunque eligatur verborum constructio, res salva manet. Novimus enim viros doctos qui primam praeferunt constructionem et tamen justam conjugii dissolutionem defendunt. Non enim in solo verbo: *discedat*, fundatur libertas partis fidelis, sed

\*) Tom. II. pag. 251.

maxime in verbis subsequentibus: *non est subjectus frater aut soror servituti in hujusmodi. Et in pace vocavit nos Deus.* Quare S. Thomas Lect. 3. in h. Epist. \*) scribit: „Superius ostendit Apostolus, quod fidelis non debet dimittere infidelem cohabitare volentem: hic autem dicit, quodsi non vult cohabitare, non tenetur fidelis eum sequi, sed potest alteri nubere. Ubi primo ipsa concessio, secundo concessionis ratio duplex: prima est libertas: *non enim servituti*, secunda est pacis tranquillitas: *in pace autem etc.*“

Quod per discessum hic S. Apostolus insinuet totalem conjugii resolutionem ita, ut una caro iterum dividatur in duos, saeculo ineunte quinto observavit modo S. Isidorus Pelusiota, qui Epist. 234. libr. III. \*\*) scribit: „Quid miraris, hoc in aliis hominibus non ubique fieri posse, cum in viro etiam et uxore, qui una et eadem caro esse censentur, hanc necessitatem perfregerit, ad hunc modum loquens: *Si autem infidelis discedit, discedat.*“ Verum illud quoque ex illius aetatis apud Haebraeos ac Romanos usitato more ac graeca vocabuli  $\alpha\omicron\rho\tau\zeta\omega$  expressione facile colligi potest. Hebraei enim et Romani per illam discessionem intelligebant repudium quo unus alteri libertatem reddidit, aliam thori sociam sociumve eligendi ac assumendi. Forma Libelli repudii id aperte continet, qua de re non opus erit ut fusius demonstretur. Porro usus est

\*) Tom. XVI. oper. edit. Antverpiens. pag. 64.

\*\*) Pag. 249. edit. Venet. 1745.

ipse noster Servator Jesus Christus hac expressione Matth. XIX, 6. *quod Deus conjunxit, homo non separet, ἄνδρωπος μὴ χωριζέτω*, ubi certe non de sola separatione quoad thorum et habitationem, quae ab Apostolo tempore orationis commendatur, sed quoad vinculum loquitur. Immo ipse Apostolus in eadem nostra Epistola Versu 10. usus est hoc vocabulo sensu jam dato. Addit quidem: *quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*. Sed haec adjceta restrictio ac accurata explicatio probet, quod generaliter per discessionem totalis resolutio intelligenda sit.

Ita et subsequencia verba: *non enim servituti subjectus est etc.* confirmant ejusdem resolutionem. In conjugio quidem uterque aequale possidet jus, ita ut vir potestatem habeat in corpus mulieris et vice versa, ut docet Apostolus; verum merito tamen conjugalis obligatio haec servituti comparatur, quia unus alteri servire tenetur. Unde pariter docet Apostolus V. 59. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat, tantum in Domino*. Si igitur uxor mortuo viro liberata est, ergo vivente viro ligatur, utique servitio conjugali. Omnis obligatio, inquit Hugo Grotius ad h. l. servituti est similis, et ideo ex vicino id nomen arripit. Hinc ille apud Terentium: *Uxorem duxi, libertatem vendidi*. Nec est praetermittendum, quod Hebraei in suis contractibus matrimonialibus utantur vocabulo, *servituti subjicere pro se obligare ad debitum conjugale*, ut exemplis demonstrat Buxtorfius in Tractat.

de divortiis et Sponsalib. Quod hodierni adhuc observant Judaci. In Eduth Aschereth enim edit. Bremens. 1817. german. legitur §. VII. Forma libelli nuptialis, in quo haec verba occurrunt: *tibi serviam*, ad quae editor germanicus animadverdit: Unter dem Worte *bedienen* wird die eheliche Beiwohnung seiner Ehegattin verstanden. Igitur Apostolus per *τὸ non est servituti subjectus frater* idem dicere vult, ac: liberatus est a lege conjugii frater sive fidelis. A lege, inquam, conjugii, non solum ab obligatione debitum conjugale solvendi, ut nonnulli volunt \*). Quenam enim esset Apostoli resolutio, liberare fratrem ab obligatione, quam aliunde ob discessionem compartis explere non potest, et quam compars recusat? Nonne infidelis per ipsam discessionem fidei omnem ademit potestatem, debitum reddendi? Duo enim ad hoc requiruntur, vir et foemina: quodsi vel hic vel haec excessit, per se cessat obligatio; et excedens alteram partem remanentem a servitio liberatam declarat \*\*). Profecto observante Christiano a S. Ursula \*\*\*) nihil novi promulgasset Apostolus, si eam solum efficaciam discessui infidelis tribuisset, quae fidelem a cohabitatione tantum liberaret. Cui enim unquam in mentem venit, fidelem dimissum debere infidelem sequi et obligatum esse ad cohabitandum infideli, sine contumelia creatoris vel pertractione ad peccatum

\*) Confer Cla. Berg. Diss. citat. pag. 46.

\*\*\*) Conf. Mosheim Erklärung des I. Briefes an die Corinthier pag. 301.

\*\*\*) Diss. de conjuge infideli, facto fidei. Bambergae et Wirceburgi 1782. pag. 28.

cohabitare nolenti? Usque adeo jam antecederet fidelem a cohabitatione infidelis, etiam consentientis, liberum pronuntiaverat, ut id tantum ob spem conversionis non expedire consuleret: ut quid modo idipsum repetitis vicibus concedat, quod nulla lex praecipit, immo et ipsa recta ratio vetat? Credendum est, Dominum jam separationem a thoro concessisse, dum ob causam fornicationis non carnalis tantum, sed et spiritualis, ut praesuli Hipponensi placet, infidelitatis scilicet, divortium fieri indulset, et tamen se a Domino distinguit Apostolus. In quo porro discrimen illud consisteret, quod facit fidelium inter matrimonium et infidelium, si mulier conversa a viro physice vel moraliter relicta, aeque deberet manere innupta, ac illa, quae virum fidelem habet? Si eadem utrobique ratio est, cur de fidelibus loquens, ex praecepto Christi jubet, mulierem a viro suo discedentem viro suo reconciliari vel manere innuptam; hic autem altum illius tenet silentium, imo partem fidelem a servitute eximit? Accedit, quod exemptionem hanc a servitute conjugali aequitas postulare videbatur, ne videlicet fidelis conversus, dum pars altera in infidelitate obstinata permanet, cogatur vitam coelibem ducere. Nam nimis grave esset jugum Christi, si omnes ejus fidem amplectentes obstringerentur ad servandam continentiam, ipso dicente: *Non omnes capiunt verbum istud.*

Cla. Rossali in Diss. hac de causa edita \*) argumenti jam structi vim enervare exinde conatur,

\*) Thesaur. philolog. nov. J Kenii Tom. II, pag 799.

ut illam servitutem non referat ad mutuam conjugum obligationem, sed potius ad christianae partis liberationem, discedentem infidelem non sequendi. Quid igitur, scribit pag. 304. N. 22 ubi infidelis jusserit a fide deficere et in Gentilitatem regredi? In talibus nequaquam ei parendum est, ac talia ad conjugum subjectionem non spectant, et ne quidem ad servorum servitutem, quoniam ubique id Apostolorum obtinet Act. V, 29. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Post multas dein philologicas ambages Chrysostomum ac Theophilactum provocat ad causae patrocinium. Verum immerito. Chrysostomus enim ea, quae Rosalius citat, interpretatur de versu 21., qui agit de servorum vocatione. Ad versum autem 15. scribit: „Quid sibi vult autem illud: infidelis si discedit aut separatur? Verbi gratia si te jubet sacrificare aut sociam impietatis esse propter connubium, vel discedere; melius est dirumpi connubium, quam piam religionem. Qua propter subdit: *Non enim servituti subjectus est frater aut soror in ejusmodi rebus.* Si quotidie ea de causa pugnet et bellum moveat, melius est separari. Hoc enim subindicat, cum dicit: *in pace autem vocavit nos Deus* \*).“ Nec ita favet Theophilactus ut in eo gloriari possit Rosalius. Audiamus ipsum. In Commentario ad nostrum versum ita scribit: „*Quod si infidelis discedit, discedat.* Hoc est, si vir infidelis uxori fideli injungat, ut secum sentiat et particeps suae fiat infidelitatis, dirimat potius matrimonium mulier et a viro abscedat. Satius enim est

\*) Homil. XIX. I. ad Corinth. N. 5. Tom. X. pag. 163. edit. Montfaucon.



connubium ipsum dissolvere, quam pietatem in Dei cultum dimittere. *Non est in servitum redactus frater aut soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus.* Si tecum ille eo, inquit, iuratur, quod suae infidelitatis participare nil toleres, confestim secedito. Non enim est hujusmodi servituti subjecta, hoc est, nil cogaris virum in rebus hujusmodi perpeti. Melius est enim secedere, quam altercari. Neque enim divinae illud est voluntatis, quippe qui nos in pace vocavit. Itaque si ille litiget et iurgiis urgeat, praebuit ille divortii causam \*). Quid est illud: non cogaris virum perpeti? Ni me omnia fallant, voluit Theophilactus innuere, liberatam esse a lege viri, sicut mulier, cujus vir morte naturali obierat. Attamen alium ex antiquis novimus qui Rosalii patrocinatorum interpretationi, isque est Remigius, sive Lugdunensis sive autisiodorensis, qui commentarium scripsit in S. Pauli Epistolas. Ita enim interpretatur: *Non enim est servituti subjectus frater aut soror in ejusmodi.* In tali facto, id est: si infidelis non vult manere cum fidei, ille qui fidelis est, non est ita subjectus illi, ut debeat illum sequi, neque subjectus est culpae propter hoc, si ille discedit. *In pace*, id est, ad concordiam, *vocavit nos Deus.* Ideirco si non vult credere infidelis, qui blasphematur Dei nomen, recedat, ut pacem possit habere fidelis, nec oportet litigare cum eo qui discedit \*\*). Nos tamen, neque Remigium neque Ro-

\*) Tom. III. oper. Theophilacti pag. XLVIII. vers. edit. Parisiens. 1542.

\*\*\*) Tom. V. Biblioth. Patr. coloniens. Part. III. pag. 377.

salium rem acu tetigisse arbitramur. Nemo enim Corinthiorum, quanquam Neophitus in fide, de eo anxius dubiusque haerere potuit, an relinquere tuta conscientia conjugem infidelem ac blasphemantem, Deum autem sequi deberet. Sciebant sane, edocti ore apostolico; quae Jesus locutus est Matth. X, 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus etc.* Aut admittamus, Corinthios eo adhuc tempore in Religione ita fuisse ignaros, ut, cui magis parendum, Deone an conjugi, nescirent? Necessesse est ergo, ut Apostolum dicto loco quid extraordinarii concessisse credamus, id nempe quod conjux fidelis ita deserta ab initi in Gentilismo matrimonii jugo soluta sit, ac libertatem nacta, novis sese obstringendi votis. Quis credat, Paulum voluisse, quod sic deserta sicque repudiata propter religionem mulier in perpetuum se ab usu conjugali abdicaret, cum supra versibus 2 et 5. conjugium ad praecavendam fornicationem et utionem suaserit? Maximum, me iudice, in religionis detrimentum haec fuisset constitutio plurimosque conjugatos a Christianismo amplectendo avertisset. Contrarium tamen intendisse Apostolum, omnes fatemur.

Porro confirmatur jam asserta sententia verbis sequentibus: *in pace autem vocavit nos Deus*, in quibus, ut supra audivimus, S. Thomas alteram privilegii posuit rationem. Non consentimus iis, qui hoc

---

Alii Critici Haymonem Halberstadiens. habent hujus Commentarii Autorem.

comma ad priorem remittunt casum versu 12. et 13. expressum, ubi prohibet Apostolus, deserere infidelem, si velit habitare cum fidei. Constructio enim grammaticalis postulat, ut ad proximum referatur sensum. Nec ut ab hac regula generali recedamus, nos cogere potest, quo usus est Apostolus vocabulum *εἷ*. quod loco *εἷς*. hic ponitur. Insinuare enim per hoc videtur non tam finem vocationis, quam ex vocatione secutam causam liberationis a servitute conjugis gentilis. Dicere vult Apostolus: ad talem servitute, qua pax christiana turbetur omnisque in familia Dei cultus impediatur, suos non compellit Religio christiana, cui nomen dedimus. Tuta igitur conscientia frater aut soror se retrahere potest a compare infideli, si nolit pacifice cohabitare, aliumque quaerere connubialem. Nec quemquam spes fallat conversionis. Unde enim scire potest frater, futurum esse, ut mulierem ad salutis viam ac veram Christi fidem adducat. Igitur ne dubitet ab eo discedere, qui a fratre quoniam Christo se vovit, discedere voluit.

II. Genuinus hic, remur, est classici loci sensus. Concedamus nunc quidquam auctoritati interpretum. Dispescimus eos in duas classes, medium ponentes Ambrosiastrum, quem ante saeculum VIII. nemo eruditorum novit aut citavit. Quod larvatus hic Auctor sua Commentaria in 13. Pauli epistolas, quae longo tempore sub specioso divi Doctoris Ambrosii Mediolanensis nomine legebantur, ex variis veterum scriptis consarcinavit, styli ac sententiarum demonstrat diversitas et longe diu observarunt Cri-

tici sapientiores \*). Ex paucis, qui ante Ambrosiastrum sive ante saeculum VIII. S. Pauli Epistolas commentario illustrarunt, novimus *Primasium* cujus sensa modo dedimus; *Pelagium* alias *Hieronymiastrum* dictum, quia ejus Commentaria sub nomine divi Hieronymi edita sunt: *Venerabilem Presbyterum Bedam*, attamen cum vulgata Bedae Commentaria Cla. Mabillonius *Analect. Tom. I. pag. 12.* Floro Diacono Lugdunensi Saecul. IX. Scriptori vindicanda esse demonstravit, ejus auctorem ad II. posteriorem remittimus classem: ex Graecis post Chrysostomum, *Theodoretum*. Quae igitur horum est interpretatio loci Paulini? De Pelagio ac Theodoro sola esse potest quaestio. Ipsi autem nihil decidunt. En Pelagii verba \*\*). *Quod si infidelis discedit, discedat Maritus enim vel uxor non sunt Domino praeferendi. Non enim servituti subjectus est frater vel soror in hujusmodi. Non enim ita ligatus est in ejusmodi causa, quasi vere illi servire necesse sit, et propter alterum interire. In pacem autem vocavit vos Deus. Caeterum non ad dissidium sumus vocati: ultro ergo discedere non debemus.* Ad verum vero 18. aliam quoque refert expositionem, qua usi sunt nonnulli adversarii. Ait ibidem. *Si quis*

\*) Conf. praevidiam admonition. editorum Maurinorum S. Ambrosii Tom. II. ad h. Commentar. in Append. pag. 20. — Petavium libr. I. de Hierarch. eccles. Cap. 12. Tom. VI. edit. Venet. — Oudinum Comment. de script. eccles. Tom. I. pag. 482. — J. G. Rosenmüller *Histor. Interpretat. Part. III. pag. 589.*

\*\*\*) Tom. XI. oper. S. Hieronymi Part. III. pag. 242. sive Tom. XII. oper. S. Augustini, quem Clericus edidit, pag. 365.

ad fidem Dei accesserit, uxorem non habens: postmodum gentilem conjugem non debet accipere. Si autem in tali copula constitutus, ad fidem fuerat vocatus, non debere eum conjugale vinculum solvere.\* Recte quidem, si infidelis consentiat cohabitare. Non melior Theodoretus, qui in suo Commentario partem fidelem, si discessit infidelis, a reprehensione liberam tantum declarat. Sed aliter Theodoretum citat Nicetas Heraclensis Episcopus in sua enarratione in Epist. I. ad Corinth. \*). Verba ejus dedimus in nostra Mantissa; opportunum vero arbitramur, ea hic repetere. „Numquid nosti, vir, an uxorem servaturus sis, nec ne? hoc est, unde nosti fere, an servaturus sis vel non servaturus sis? Futurum enim ignotum. Ignotum autem quum sit, conjugium solvere non oportet. Conveniens enim, inquit, et bonum malum legitime dicere licere, hoc est, servare. Non servans enim non diligens fuit; servans vero juvat et emolumentum cepit.\* Sed verbis recte ponderatis putamus Theodoretum et cum eo Nicetam hic loqui de casu, quo infidelis non recuset cohabitare. Paulo supra enim ait: „Si non dissentit tecum, mane cum eo.“ De nostro autem casu disserit supra pag. 185. „Honestius enim, inquit, non separari. Si vero etiam separemur, virum habeat. Ne forte concubitu adfectu imaneat et non alterum virum ducendo: nisi in causa fornicationis“ ... et postea: „Secedat inquit. Praestat enim conjugium, quam pietatem solvi. Quid

\*) Edidit illam Cla. J. Lamius florentinus in Deliciis Eruditor. sive Veter. opusculor. Collectan. 1738. pag. 189.

vero si quotidie luctetur et pugnet ad suam incredulitatem attrahere volens? Et ita secedite. Neque enim, inquit, ita quod hujusmodi servus effectus es, ut et aliquid pugnans substineas. Et patet de pugna, quae contingit, loqui, ex iis, quae infert: *In pace autem vocavit nos Deus.* Hoc est ut pacem habeamus, et non sit in nobis seditio, vel pugna. Quoniam igitur pugnat, et propterea liberari pulchrum. Haec ex Theodoro Nicetas, ex quibus probabilius fit, ipsos sensisse, fideles ob discessum infidelis factos fuisse liberos, ut novum pactum inire possint \*).

Antequam ad secundam accedamus classem, centrum promoveamus, oportet Ambrosiastrum: inde enim facilius posteriores cum eo conferre valemus. Scribet autem ad vers. 15.: „Propositum religionis custodit, praecipiendo, ne christiani relinquunt conjugia: sed si infidelis odio Dei discedit, fidelis non erit reus dissoluti matrimonii; major enim causa Dei est, quam matrimonii. *Non enim frater aut soror servituti subjectus in hujusmodi.* Hoc est, non debetur reverentia conjugii ei, qui horret auctorem conjugii; non enim ratum est matrimonium, quod sine Dei devotione est: ac per hoc non est peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, si alii

\*) S. Anastasius Sinaita, Patriarcha Antiochenus, cujus quaestiones graeco-latinas edidit Gretserus Tom. XIV. oper. nostrum casum tangit quaest. 121. ubi ait: Si una pars baplizetur et altera pars neque baplizari neque separari velit, ne cogat illam aut exagitet fidelis; quia sicut qui post baptismum meretrici adhaeret, unum corpus cum illa efficitur, ita et qui adhaeret fideli. — Non ultra procedit Anastasius.

se junxerit. Contumelia enim creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur, ne accusetur alii copulatus. Infidelis autem discedens, et in Deum et in matrimonium peccare dignoscitur; quia noluit sub Dei devotione habere conjugium. Itaque non est ei fides servanda conjugii, quia ideo recessit \*), ne audiret auctorem esse christianorum Deum conjugii. Nam si Esdras dimitti fecit uxores aut viros infideles; ut propitius fieret Deus, nec iratus esset, si alias ex genere suo acciperent; non enim ita praeceptum his est, ut remissis istis alias minime docerent: quanto magis si infidelis discesserit, liberum habebit arbitrium, si voluerit nubere legis suae viro? Illud enim non debet imputari matrimonium, quod extra decretum Dei factum est: sed cum post cognoscit et dolet se deliquisse, se emendat, ut veniam mereatur. Si autem ambo crediderint, per cognitionem Dei confirmant conjugium. *In pace autem vocavit nos Deus.* Verum est, quia non oportet litigare cum eo, qui discedit quia odio Dei discedit, ac per hoc nec dignus habendus est.

Post saeculum octavum, reformato per Carolum M. studio biblico plures commentati sunt epistolas Paulinas. Ex iis sunt *Florus Monachus Trudonianus* et *Venerabil. Beda*, *Rhabanus Maurus*, *Sedulius Scotus*, Scriptores saeculi IX.; Saecul. X. et XI. sequuntur *Atto II. Vercellensis*, *S. Bruno Carthusianus*, *Lanfrancus Cantuariensis*; Saeculo XII.,

---

) Quae sequuntur, in aliquibus codicibus, juxta notata Maurinorum desiderantur.

*Hugo a S. Victore ac Petrus Lombardus.* Hi omnes tamen potius compilatores dicendi sunt quam interpretes. Etenim Florus et Beda plerumque Augustini verba referunt; ita quoque Atto Vercellensis, qui quandoque usus Hieronymo et Gregorio M., Sedulius Scotus exscripsit, saltem quod attinet locum nostrum, Pelagium; Rhabanus Maurus, Hugo a S. Victore et Petrus Lombardus sunt Ambrosiastri discipuli. Ex iis ergo nihil certi erui potest, praesertim cum raro S. Pauli verba longiori interpretatione ponderare soleant. Solus Hugo in aliqualem sese immittere audet de hoc loco disputationem, non quidem in Commentario super Epistolas Pauli, ubi breviter sententia Ambrosiastri rem absolvit, sed in eruditionis theologicae tractatu de Sacramentis fidei \*), ubi libr. II. Part. XI. Cap. 13. docet, infidelem perdidisse omne jus conjugii, conjugiumque inter infideles non esse indissolubile. Hugonem ex Theologis primum esse, qui hanc sententiam publice defenderunt, eruditissimi observant Benedictini Hist. litt. de la Fr. Tom. XII. pag. 45. Ut Lectores methodum disputationis, qua Hugo usus est, nexumque plene perpendere valeant, praestat, locum satis diffusum exscribere. Ad hunc modum dimissio propter Deum non est peccatum, si alii adjungitur. Injuria enim creatoris solvit jus matrimonii \*\*). Si infidelis discedit, discedat. Non est subditus servituti frater in ejusmodi; servituti subditus esset, si vel traheretur invitus vel teneretur non voluntarius.

\*) Tom. III. oper. edit. mogunt. 1617. pag. 478.

\*\*) Observa hic Ambrosiastri sententiam.



Nihil illi debet, sive discedat sive maneat: perdidit jus suum, qui creatori injuriam fecit. Si ergo discedit infidelis, discedat; nihil ad nos: non cogitur infidelis, quasi aliquo debito obligatus, aut sequi discedentem aut sustinere contemnentem. Non est subjectus servituti, liber est ut faciat quod vult, tantum in Domino, ducat uxorem, si vir ille est: si foemina est, nubat. Quam vult, societatem eligat: non jam tenetur debito prioris societatis, cujus jus solutum est propter injuriam creatoris. Quae videlicet injuria creatoris non solum tunc excusat fidelem, quando ab infideli propter Deum dimissus alteri sine culpa conjungitur: sed tunc etiam excusat, quando ipse fidelis magis societatem fidelem eligens, infidelem cohabitare quidem volentem, sed fidem recipere renuentem christiana devotione detestatur. Sive enim discedat, sive manere eligat infidelis, nihil debet illi qui fidelis factus est. Nemo illum cogere potest quin faciat quod velit. Injuria creatoris solvit jus matrimonii. Non potest jam infidelis ab illo quicquam exigere, quia in illo debitum suum perdidit, postquam creatori id quod debet reddere, contemnit, habet jam fidelis causam, qua juste negare potest, etiam id quod prius debuit, et quod adhuc quidem debuisset, si causam intervenientem et debitum ipsum solventem non habuisset. Ergo liber est fidelis, si socium fidelem eligere vult, nemo illum prohibere potest: tamen si patitur fidelem cohabitare volentem, opus perfectionis facit, ad lucrandum proximum suum; sic dicit Apostolus: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem et iterum mulier infidelis per virum fidelem.* Si

ergo fidelis infidelem cohabitare consentientem ad hoc patitur, ut de infideli faciat fidelem, sive faciat sive non faciat, quantum in se est, lucratur animam fratris sui et implet opus pietatis. Si autem pati non vult detestans infidelitatem ejus, non est servituti subjectus in ejusmodi frater. Nemo illum potest cogere si vult, quin infidelem deserat, neque prohibere etiam, si voluerit quin se infideli conjungat. In infideli peccatum est, qui fidem respuit, cujus culpa solvit jus matrimonii, ut jam exigere jure non possit, quod si exigeretur, sine injuria negari non posset. Culpa quippe infidelis fidelem a debito solvit, sicut e contrario justitia fidelis infidelem debito astringit. Itaque non peccat fidelis, si alteri se conjungit, quoniam a jure matrimonii adversus infidelem solutus est: sed infidelis etiam derelictus sine culpa alienam societatem non appetit, quem adhuc jus matrimonii et debitum conjugalis foederis erga fidem astringit. Ergo non potest adulterium vocari, si fidelis alteri conjungitur; infidelis autem etiam derelictus crimen adulterii incurrit, si alteri copulatur. Propterea si fidelis etiam ab eo, quod licet pro periculo proximi vitando se temperat: perfectius opus facit. Ad quod tamen nullatenus cogi potest: quia non debiti opus est, sed caritatis effectus: sicut dicit beatus Augustinus in libr. de adulterinis conjugiiis. Discussionem fidelis ab infideli Dominus non prohibet: quia non est injusta coram eo. Sed Apostolus consilio caritatis non solum ne dimissi scandalizentur, ed etiam quod cum in aliena conjugia ceciderint adulterinis nexibus colligati, difficillime ab infide-

litate resolvantur. Itaque adulterium committit infidelis, si alteri se sociat, quia a debito prioris pacti solutus non est.\* Sic casum resolvit Hugo. Non est hic locus, ubi de interpretum tantum agimus sententiis, ad lapidem Lydium revocare rationes ab Hugone pro totali matrimonii solutione propositas; sufficit observare, quod Ecclesia catholica numquam tam generaliter solverit matrimonium fidelis cum infideli.

Ex Graecis licet plures Epistolas S. Pauli erubite commentati sint, pauci tamen nostrum casum tangunt, aut si tangant, breviter resolvunt. Theophilactum supra citavimus, sed eo antiquior est Photius ac optimo modo se exprimit. »Non oportet, inquit, matrimonium dissolvere, si quidem pars infidelis eum fidele habitare consentit; sin autem seditiosus est infidelis et dissolutionem facit, non sic est illi fidelis obnoxius, ut discedere quoque illi non liceat: quinimo matrimonium infideli dissolvente, liberum quoque est fidele discedere, verumtamen liber est per infidelis defectionem matrimonium solvere.« Apud Graecos ergo, quibus certo Photii aetate nondum notus erat Ambrosiaster latinus, ecclesiastica viguit doctrina, quod matrimonium dispar casu posito dissolvi valeat; quod et Gagnaeus fatetur, cui hunc Photii locum debemus.

Recentiores interpretes, quos inter eminent Calmetus, Harduinus, Sa, Menochius, Tirinus, Braunius, Fischerus, Brentano, labii unius sunt ac sermonum eorundem, quando praesens tractanda est

quaestio aut locus classicus Pauli explicandus. Consule si velis, Criticos sacros, ubi Hugonem Grotium ex partibus nostris stare observabis; et Biblia Magna de la Haye, sicut et Cornelium a Lapide caeterosque multos, quos brevitatis eausa omitimus.

III. Fundata sic ecclesiastica interpretatione, diluamus brevi manu quae opponuntur adversa. Regula certa est et generalis, inquit qui ex alia dimicant parte; matrimonium consummatum etiam inter infideles esse jure divino indissolubile; ut ergo in hac regula exceptio concedatur; eodem, quo lex generalis, promulgetur necesse est, ore divino et infallibili. Quod autem matrimonium generaliter indissolubile sit, repetita vice docet Servator noster in Evangelio Matth. V. et XIX., Marci X. et Lucae XVI. tantum ob adulterium permittit repudium sive separationem quoad thorum et mensam. Huic carnali adulterio si aequiparemus spirituale, discessio quoad thorum fidelem inter et infidelem tantum licita erit; non autem quoad vinculum. Ad hanc legem remisit ipse Paulus suos Corinthios, dicens: *Iis qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari.* Dicito ergo, ubi tam dilucida pronuntiatur exceptio, tam certum in favorem Religionis privilegium. Textus divi Pauli versu 15. tam obscurus est, ut maxima licet adhibita crisi hermeneutica nonnisi *probabilis* astrui possit exceptio. Tanta autem in re, quae jus divinum tangit: quis probabili

exceptione aequiescere valebit? In administratione Sacramentorum nonne tutior pars eligenda est?

Porro verum est, quod antiquorum nonnulli docuerint, solubile esse conjugium, si infidelis recuset eum fideli cohabitare; tantum autem abest ut hoc tanquam privilegium religionis adstruerent, a Paulo loco citato promulgatum, quin potius matrimonium inter infideles quia non fuerat ratum sive Sacramentum, solubile praedicarent; et propterea Apostolus parti fideli licentiam dat discedendi, si discedat infidelis. Per quod enim res nascitur, per id etiam dissolvitur. Mutuo igitur consensu tale matrimonium, ut putant, solvi potuit. Nostris autem temporibus contraria defenditur sententia; et licet infidelium matrimonium non sit ratificatum, tamen verum esse et jure divino indissolubile matrimonium. Quidni et jure naturae? Ita sane censent innumeri juris naturae Doctores.

Eum fere in modum nos ipsi argumentati sumus in Mantissa laudata: et Dii immortales! quantum gloriati sumus in fucata hac argumentatione? Illusi phantasmate, Achillea praedicabamus. Excitemus pugnam! Generalem de non solvendo matrimonio legem veneramus divinam obscurumque sola duce exegesi fatemur Pauli locum: quid inde? Ergo Troja capta est? Falleris. Sufficit nobis, quod locus Pauli probabili, imo probabiliiori modo in favorem libertatis partis fidelis explicari posset juxta sanas Hermeneuticae sacrae regulas; ut vero sic explicari et interpretari debeat, discimus ab interprete longe

eruditissimo, qui est sensus Ecclesiae catholicae, de quo infra. Caeterum quod Paulus non dilucide dicat: *iterum nubat fidelis*, ex eo, ut remur, factum est, ne se ad novum conjugium ineundum putet obligatum fidelis. Privilegium sit, quo uti quis posset aut non. Si ergo inposterum velit permanere continens, bonum est; si autem id recuset, ne incidat in laqueos diaboli, liberum ei est, aliud inire conjugium, sive *nubat, tantum in Domino*. Haec forsitan causa, cur praecisa dictione ac obscura phrasi usus fuerit Paulus in promulgando privilegio, quod sane non ex sua deduxit privata opinione sed divina hausit inspiratione. Nec aliud insinuat expressio: *Ego dico, non Dominus*. Dicere enim vult: De hoc casu nihil in evangelio decidit Dominus, ego autem, qui me Spiritum Dei habere puto, solvo eum juxta datam mihi potestatem.

Porro tametsi quidam Scholasticorum dissolubilia defenderint infidelium conjugia, quia non rata, haec opinio neque erat communis nec ita antiqua, cum patres priorum saeculorum et multa concilia legitima matrimonia generaliter indissolubilia esse docuerint. Tritum est illud Meldensis Concilii apud Gratian. Caus. 23. q. 2. C. 1. Crimina in baptismo solvuntur, non conjugia \*). Nec Auctores illi, qui disparis conjugii dissolubilitatem astruunt, provocant ad labilem hujus conjugii naturam, sed ad Apostoli Pauli edictum; unde certum, ipsos non

---

\*) Confer dicta Tom. VI. part. I. der Denkwürdigkeiten. Seite 116.

ex eo, quod haec conjugia non fuerint rata, disjunctionem licitam hausisse, sed quod ipsa in Gentilismo legitime inita privilegio singulari in Christianismo ob imminens perversionis periculum disseccari ac corpora in unum prius contracta iterum ad partialitatem reduci possint. Hoc privilegium novae legis tam parum laedit jus naturae et divinum, quam privilegia veteris legis, sive Polygamia Patriarchis concessa et libellus repudii Israelitis juxta plurimos a Moyse permissus. Idem est enim auctor et novi in Christianismo privilegii et veterum in lege naturae et Moysaica Deus, qui instituit jus naturae et divinum, qui ideo dispensatione, non aliena laedit, sed sua generalia edicta ob favorem credentium pro casu particulari retrahit.

## Caput II.

*An ex scriptis Ss. Patrum quid certi in hac materia erui possit, quaeritur.*

I. *Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi, monet S. Scriptura Deuter. XXXII, 7., majores tuos et dicent tibi.* „Quod enim hi, judice S. Augustino<sup>\*)</sup>, invenerunt in ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Hic mos semper viguit in Ecclesia catholica, ut ea, qua ad dogmatum connexionem, rectam Sacramentorum administrationem ac legitimam regiminis ordinationem pertinent, quasi per

<sup>\*)</sup> Libr. II. contr. Julian. Cap. 10. Tom. X. pag. 549.

traducem de fonte ad rivulos, de patribus ad filios, id est, de Episcopis ad Presbyteros, de Presbyteris ad fideles sine fucu et fraude exhibeantur. Nemo hic de suo, sed de deposito, quod Dominus Jesus Ecclesiae suae custodiendum tradidit, audet haurire, neque de suo potest depromere, sed ea tantum quae, ut Tertullianus scribit, Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus accepit a Deo Patre.

Verum sacro hoc in depositoryo juxta graduum bene constitutum ordinem quaedam in sublimiori posita loco omnium patent oculis, quia magis necessaria ac perpetuo credentium usui dicata; quaedam in infimo condita angulo raro proponuntur publice, quia certis circumstantiis particularibusque ecclesiae membris accommodata ac congrua cognoscuntur. Ad ultimam hanc classem merito reducunt Eruditi ea, quae in secreto Episcoporum consistorio a primis incunabulis tractabantur de fidelium conjunctionibus ac conjugiiis. Meminimus nos, sufficientibus demonstrasse documentis <sup>\*)</sup>, quod vetustissima disciplina desponsatorum causae prius ad Episcopum delatae sive Tertullianea voce, apud Ecclesiam professae, consiliariorum in judicio caute examinarentur et desponsati non nisi de sententia Episcopi sacro conjugio necterentur. Quae autem in consistorio fuerant acta, non statim fidelium auribus credita, non in conventu promulgata, immo neque ecclesiastico Registro tradita: Summa enim

---

\*) Conf. der Denkwürdigkeiten VI. B. I. Th. pag. 388. — II. Th. pag. 17.



et graviora, quae communitatis minime fovere nisi sunt aedificationem, silentio honorari volunt ^). Exemplum praebet S. Augustinus Serm. 72. in Verb. Evangel. Matth. XVIII. N. 11. ubi inter alia habet. »Aliquando homines reprehendunt nos, quod quasi non corripiamus: aut putant nos scire quod nescimus, aut putant nos tacere, quod scimus. Sed forte quod scis, et ego scio: sed non coram te corripio; quia curare volo, non accusare. Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus suis plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quaerentibus, nos non palam prodimus, sed in secreto arguimus \*\*).

Haec quoque est causa, quare de rebus matrimonialibus et specialiter de nostro, quem tangimus, casu tam rara sunt antiquitatis documenta. Conjugalia enim ejusmodi facta, brevi judicio decisa neque epistolis communicatoriis, neque eruditis opusculis neque ad populum tractatibus inserebantur. Quare miramur Judoci Le Plat, Lovaniensi in Universitate olim Canonum Professoris audacem sententiam, quae habet: »Octo prioribus Ecclesiae saeculis, Ss. Patrum constans fuit doctrina, matrimonium etiam infidelium, natura sua ac institutione divina esse insolubile, *etiam post conversionem unius partis ad fidem*: nullaque tunc in ecclesia invaluerat exceptio, quam insinuari credunt multi in textu S.

^) Libr. I. Recognition. Cap. 25. Tom. I. Cotelerii pag. 491. edit. Amstelod.

\*\* ) Tom. V. pag. 444.

Pauli \*). Nos enim, qui veterum Patrum libros versamus manu diurna ac nocturna, potius profiteri debemus, octo prioribus saeculis rarissima inveniri vestigia, quae nostrum attingunt casum. Confitentur id omnes alii, quotquot de hac scripsere materia. »Ut rara sunt, scribit doctus Christianus a S. Ursula Diss. cit. pag. 54., priorum Ecclesiae saeculorum exempla, sic et admodum pauca extant Patrum testimonia, quae veterum opinioni aperte favent.«

II. Quae sedula diligentia offendimus, refert nostra Mantissa. Pauca horum retractanda sunt. Divi Justini ex Apologia II. locum virga critica discussimus. Gloriantur in eo Schneidenbachius \*\*), et praecipue laudatus Christianus a S. Ursula Diss. cit. pag. 52. qui, ut locum ad praesentem casum applicent, circumstantias novas facto adjiciunt, datas pervertunt ac in alienum rapiunt sensum. Misit quidem mulier christiana, de qua S. Martyr loquitur, viro suo infideli libellum repudii, sed qua de causa? »Impium esse mulier existimabat cum eo deinceps viro, qui praeter naturae legem praeterque jus undecumque voluptatis vias exquireret, thori consortio jungi, discedere a conjugio voluit.« Quod infidelis maritus conjugem christianam impie propter fidem truciterque tractaverit, non refert Justinus, immo ex eo, quod vir aegre acceperit missum repudii libellum, conjicere licet, pacificum erga chris-

\*) Diss. historico-canonica, in qua ostenditur in casu Apostoli I. ad Corinth. VII. parti conversae liberum non esse ad secunda vota transire. Lovanii 1771.

\*\*) Theologiae Christianae evangelic. Tom. XIII. pag. 767.

tianam conjugem aluisse animum. Ipsa autem mulier cum nuntio percepisset, virum Alexandriae pejora perpetrasse, verita ne inique et impie factorum particeps fieret, si in conjugio maneret victusque ac thori consors esset, sese separavit. — Ob adulterinam voluptuosamque igitur vitae rationem mulier virum dimisit et quidem ut ipse S. Martyr scribit, ejus *victus thorique* consortium fugit. Plura non refert Apologeta, nec non jus habemus, aliena addere.

Aliter de Tertulliano sentiendum, in quem adversarii magnum suae sententiae injiciunt pondus: an etiam auctoritatis ecclesiasticae? Africanæ ecclesiae hic presbyter, Rigorismi patronus cum generaliter secundas semper respuerit nuptias, etiam post mortem prioris conjugis: quidni et adversetur repudio aut aliis nuptiis, ipsius religionis causa? Versabatur nempe in ea opinione, matrimonium non tantum corporum sed praecipue animorum esse conjunctionem, quae per mortem solvi non posset. Porro N. 14 Libr. de Monogam, scribit: „Si justum est matrimonium non separari, utique et non iterari honestum est. Denique apud saeculum utrumque in bona disciplina deputatur, aliud concordiae nomine, aliud pudicitiae. Regnavit duritia cordis usque ad Christum; regnaverit et infirmitas, carnis usque ad paraclatum. Nova lex abstulit repudium, habuit quod auferret. Nova prophetia secundum matrimonium, non minus repudium prioris \*).“

---

\*) Tom. III. oper. edit. Hallens. II. pag. 129.

— Hic cum Tertullianus profiteatur per paraclatum ablatum fuisse secundum conjugium, immo et repudium prioris: nonne contestatur, ante paraclatum in ecclesia utrumque fuisse usitatum? „Tempus ejus, inquit, donec paraclatus operaretur, fuit, in quem dilata sunt a domino, quae tunc sustineri non poterat, quae jam nemini competit portare non posse, quia per quem datur portare posse non deest.“ Repudium vero non intelligit Tertullianus, quod modo abstulit Christus, sed de quo paulo superius egit. „Bonum homini, si sic permaneat, inquit, utique quomodo a fide fuerit inventus: vinctus es uxori: ne quaesieris solutionem . . . Sic ergo in eodem ipso capitulo, quo definit Apostolus, unumquemque in qua vocatione vocabitur, in ea permanere debere: adjiciens: mulier juncta est, quamdiu vivit vir ejus: si autem domierit, libera est: cui vult, nubat, tantum in Domino: hinc quoque eam demonstrat intelligendam, quae et ipsa sic fuerit inventa, soluta a viro; quomodo et vir solutus ab uxore, per mortem utique, non per repudium facta solutione. Quia repudiatis non permittitur nubere adversus pristinum praeceptum . . . *Servus vocatus es, ne curaveris: impraeputiatus es, ne circumcidaris: circumcisis vocatus es, ne adduxeris: quibus concurrit, vinctus es uxori, ne quaesieris solutionem: solutus es ab uxore, ne quaesieris uxorem:* satis manifestum est, ad eos haec pertinere, qui in nova et recenti vocatione constituti de his consulebant, in quibus a fide fuerant deprehensi. „Tertullianus ergo, sicut in reliquis hujus de Monogamia libri disciplinis tradidit aliena, ita et de matrimonio dispari nunquam sol-

vendo. Recte S. Hieronymus \*) haereticum Tertulliani de Monogamia librum dixit; quem Apostolo contraire, nemo qui Apostolum legerit, ignorabit.

Alium quidem in Mantissa nostra produximus Tertulliani locum ex Libr. ad uxorem, ubi nondum Montanista eandem Apostolici textus profert interpretationem ac reprobatur ejusmodi matrimonii solutionem. Verum est, totis viribus pugnat contra solutionem: quid inde concludendum? Sententia haec, quam defendit, generalis non erat, potius contraria caeteris multis, in Ecclesia ergo tempore Tertulliani nota erat ac usitata nostra quam retractamus, de solutione sententia. Quid enim necesse fuisset, multis verbis adstruere opinionem, si nemo aliter de hac causa cogitabat? — Caeterum an purus ab omni Montanismo scripserit libros ad uxorem, in dubio haeret. Profecto longe diu montanizabat Tertullianus, antequam sese professus fuerit Montani alumnum. Statim etiam ab initio libri primi contra repetitas perorat nuptias: signum sane, ipsum fuisse modo infectum haeresi, quam postea professus. Hoffmannus Wittenbergensis arbitratus est, Tertulliani opera omnia Montanismo infecta et in Montanismo fuisse conscripta. Huic si non annuimus opinioni, tamen nemo negabit, Tertullianum ex temperamento et stylo inclinare ad Rigorismum qui parens Montanismi, ut Roeslerus quoque fatetur \*\*). — Conce-

\*) Comment. in Epist. ad Titum Cap. 4. Tom. VII, P. I. pag. 697.

\*\*\*) Bibliothek der Väter. III. Theil pag. 37.

dimus igitur Klupfelio ac Schlossero qui de mente Tertulliani singulares dederunt Dissertationes, Africanum presbyterum indissolubilitatis patronum: an vero de eo hac in materia multum gloriari possint, nescimus. Hic enim ut verbis utar Vincentii Lerinensis \*), catholici dogmatis, id est, universalis ac vetustae fidei parum tenax, ac disertior multo quam felicior, mutata deinceps sententia fecit ad extremum, quod de eo beatus confessor Hilarius quodam loco scribit: sequenti, inquit, errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem. « Paradoxum qui sequitur, in suspicionem vocatur paradoxiae et inde ab ecclesiae catholicae deflectit mente.

Basilium sive canonicae Epistolae ad Amphilo-  
 lochium auctorem revocemus, in qua locus in Man-  
 tissa citatus est corrigendus. Usi fuimus editione  
 operum latina vulgata, nec non Balsamonis juxta  
 And. Schotti editionem scholiis. Ubique legimus,  
 Canonem nonum hoc modo: *Ab infideli viro jussa  
 est mulier non separari sed remanere propter incerti-  
 tudinem eventus. Quid enim scis, mulier, an virum  
 sis servatura?* Favet utique haec interpretatio ad-  
 versariorum sententiae, quae solubilitatem negat.  
 Nacti autem postea sumus Graecum Basilii textum  
 juxta Benedictinorum editionem, cui adjuncta est  
 melior latina versio. Particula negativa *non*, quae  
 in laudata Balsamonis editione ad verbum *separari*  
 mittitur, ita ut sensus sit, *fideli mulieri datam le-  
 gem, a viro infideli se non separandi*, juxta origi-

\*) In Commonitor. Cap. 18.

nale graecum jungenda est verbo *jussa*, unde sensus contrarius eruitur, mulieri fideli non datum praeceptum, se a viro infideli separandi, quod edicto Paulino omnino consonat. Si enim infidelis consentit habitare cum fideli, dimissio minime instituenda est. Quid vero si infidelis dissentiat pacifice habitare, aut relinquat fidelem? Hunc casum accurate non solvit Auctor, imo videtur juxta Romanae legis consuetudinem discrimen facere jus mariti inter et mulieris. Marito demisso concedit novas nuptias, quas mulieri abnegat. Unde Maurini Editores notant: „Sequitur in hoc canone Basilius Romanas leges, quas tamen fatetur cum Evangelio minus consentire. Lex Constantini jubet *in repudio mittendo a foemina haec sola crimina inquiri, si homicidam vel medicamentarium vel sepulcrorum dissolutorem maritum suum esse probaverit*. At eadem lege viris conceditur, ut adulteras uxores dimittant. Aliud discrimen hoc in canone uxores inter et maritos ponitur, quod uxor injuste dimissa, si ab alio ducatur, adulterii notam non effugiat; dimissus autem injuste maritus nec adulter sit, si aliam ducat, nec quae ab eo ducitur, adultera. Caeterum Basilius ante episcopatum eodem jure uxorem ac maritum esse censebat. Nam in moralibus Reg. 57. p. 508. statuit *virum ab uxore, aut uxorem a viro non debere separari, nisi quis deprehendatur in adulterio*. Utrique pariter interdicit novis nuptiis, sive repudient sive repudientur.“ Verum quod caute observandum, cum nostrae Epistolae Auctor de dispari loquitur matrimonio, ad ecclesiasticam provocat consuetudinem, non ad legem civilem, et cum juxta Aposto-

lum utrique parti, marito nempe et mulieri separationem ut licitam permittat, videtur et novas concedere nuptias parti fideli, quae ab infideli relicta est. Quemadmodum in canone divinum Domini praeceptum discernatur a consuetudine civili vel romana, ita haec discernitur a consuetudine ecclesiastica. Divinum praeceptum prohibet separationem, nisi in casu adulterii; consuetudo civilis concedit marito, repudio facto, alteras nuptias, non tamen mulieri, si adulterium factum sit. Consuetudo ecclesiastica, si una pars facta sit fidelis, non quidem praecipit separationem, potius suadet propter incertum inventum continuatam cohabitationem; si vero infidelis renuat cohabitare pacifice: quid tum? Non tantum conceditur separatio quoad vietum et thorum, quod civiles leges etiam mulieri permittunt in casu adulterii carnalis, sed etiam omnimoda dissolutio, ita ut ad alteras accedere valeat nuptias. Haec si negatur conclusio, nescio sane, in quo consuetudo ecclesiastica diversa sit a consuetudine civili. Demus tamen, ut lector iudicium ferre possit, canonem integrum juxta Maurinorum editorum versionem. »Aequè viris et mulieribus convenit secundum sententiae consecutionem, quod a Domino pronuntiatum est, non licere matrimonio discedere, nisi ob fornicationem. Consuetudo autem non ita se habet, sed de mulieribus quidem multa accurate observari deprehendimus, cum Apostolus quidem dicat, *quod qui adhaeret meretrici, fit unum corpus*. Jeremias vero, *quod si fuerit mulier cum alio viro, non revertetur ad virum suum, sed polluta polluetur*. Et iterum, *qui habet*



*adulteram, stultus est et impius.* Consuetudo autem etiam adulteros viros et in fornicationibus versantes, jubet a mulieribus retineri. Quare quae una cum viro dimisso habitat, nescio an possit adultera appellari. Crimen enim hic attingit mulierem, quae virum dimisit, quanam de causa a conjugio disseserit. Sive enim percussa plagas non ferat, ferre satius erat, quam a conjugio separari: sive damnum in pecuniis non ferat, ne haec quidem justa excusatio: sin autem, quoniam ipse vivit in fornicatione, non habemus hanc in ecclesiastica consuetudine observationem, imo vero ab infideli viro non iussa est mulier separari, sed propter eventum incertum permanere. *Quid enim scis mulier, an virum salvum sis factura?* Quare, quae reliquit, est adultera, si ad alium virum accessit: qui autem relictus est, dignus est venia, et quae una cum eo habitat, non condemnatur. Sed si vir, qui ab uxore discessit, accessit ad aliam, est et ipse adulter, quia facit, ut ipsa adulterium committat, et quae una cum ipso habitat, est adultera, quia alienum virum ad se traduxit \*). — Per transennam quidem canon nostrum casum tangit, nec quid decretorii pro una aut altera sententia continet; attamen conclusio nostra contextui magis congruit indeque apparet probabilior; veruntamen nec ipsa hac tenaces volumus niti conclusione, sed et nec patimur, ut adversarii audaces ad hunc confugiant canonem.

Aliam interim movet Cla. Le Plat Diss. cit. pag. 29. ex lege romana difficultatem, quae obser-

\*) Tom. III. operum edit. Parisiens. benedictinorum pag. 274.

vantiam consuetudinis ecclesiasticae omnino excludit. Constantinus M. lege sua de anno 331. — inquit — causas divortiorum, ex quibus more Romano divertere liceret, non quidem ex doctrina Christi, sed ex moribus Romanis traxit, statu et necessitate reipublicae gentilibus repletae id exigente, illas tamen sic restrinxit, ut tribus tantum ex causis divortia permetteret, inter quas non reperitur casus Apostoli. *L. I. Cod. Theod. de repud.* Ex quo textu recte deducitur, quod si mulier fidelis a viro infideli, qui sine blasphemia non vellet cohabitare, recederet, ex hac lege puniretur, et absque matrimonio vitam transigere cogeretur. Ut proinde certum sit, Constantinum Magnum, licet contra legem Christi ex causis ibidem enumeratis divortia, pro morbo reipublicae statu, permiserit, non existimasse in casu Apostoli ex lege Dei parti conversae liberum esse ad alia vota migrare, quibus prima dissolveret. Laudamus utique Jurisconsulti belgici sapientiam, sed cum ipse fateatur, divortia Ethnicorum insolentius facta legibus imperatoriis fuisse coercita et ad tres tantum causas restricta, miremur oportet, ipsum ex eo, quod locus Apostoli inter has causas non memoretur, deducere, Constantinum ignorasse Christianismi privilegium, quo parti conversae certis in circumstantiis libertas datur ad alia vota, vivente altera parte ethnica, migrandi, et si conversa novas iniisset nuptias, eas ex lege invalidas ipsamque fuisse punitam. Quae enim prudentia fuisset legislatoris, in edicto contra Gentilium lubricam consuetudinem dato memorare privilegium Christianismi maxime limitatum, quo aliunde nemo uti

cogebatur? Apud Christianos rarissima erant divortia et non nisi justissimis ex causis eaque judicabantur non *lege fori sed lege poli*: nulla igitur hic divortiorum per legem civilem necessaria restrictio. Apud Ethnicos autem crebra divortia levissimis ex causis, quae lege civili refrænanda erant, quia et hae lege judicanda. Quis porro sanam affirmabit deductionem: exclusum fuisse per legem Constantini casum Paulinum, quia in lege non inclusum, ac ejusmodi a Christianis facta divortia fuisse juxta legem punita? Summe benevolum erga Christianos semper fuisse Constantinum, docent omnes hujus aevi Historiographi. Teste Theodoro \*) praesides christiana fide imbutos provinciis praefecit, eis ut sacerdotes honore prosequerentur, praecipiens exitiumque intentans si quis in eos contumeliosus existeret; nec non quae ab episcopis in consistoriis editae erant constitutiones et regulae, ut scribit Eusebius \*\*), sua consignabat et confirmabat auctoritate, ne provinciarum praesidibus liceret, quae ab eis decreta essent, abrogare. Cujusvis enim judicis sententiae sacerdotum Dei judicium anteponendum esse. Qua de causa etiam iis qui erant in judicium vocati, dedit potestatem, si modo animum inducerent magistratus civiles rejicere, ad episcoporum judicium provocandi, atque eorum sententiam ratam esse et aliorum judicum sententiis plus habere auctoritatis, tanquam ab ipso

---

\*) Historia eccles. libr. I. Cap. I.

\*\* ) De Vita Constantini Libr. IV. Cap. 27.

imperatore prolatam statuit <sup>\*)</sup>. Exstat desuper in fine Cod. Lex sub titulo: *de episcopali audientia*, qua omnia a laudatis Historiographis relata confirmantur.

Quem erga ecclesiasticos et maxime erga episcopos affectum nec caeteri successores Augusti, quos provocat citatus Le Plat, deposuerunt, nec Justinianus intermisit, uti novellas ejus legenti facile patet. Qua propter si quaestio de ejusmodi divortio agebatur, causam ad audientiam episcopalem remissam esse, certum esse arbitramur, nec necesse erat, imo nec utile, ut specialis nostra exceptio in codicem imperialem admitteretur. Jus enim hujusmodi divortii ex fidei confessione progrediebatur, non ex Caesarum constitutionibus aut indulgentia, ad praesides igitur religionis decisio quoque pertinebat. Haec quidem Jurisconsultus Le Plat ignorare non debuit, unde ejus ex lege civili facta obiectio plenissime retunditur.

Ad Patres revertamur. Proximus est S. Joannes Chrysostomus, cujus quidem sententiam ex Commentario in Epistolam S. Pauli ad Corinthios priori capite explicavimus. Alter extat locus in Commentario sive Homilia 22. in Epistol. ad Romanos, quem citavimus pag. 202. nostrae Mantissae, sed non recte interpretati sumus. Relegamus eum, ut genuinum quisque capere possit sensum. *„Si infidelis discedit, discedat. Id est quae penes te sunt,*

---

<sup>\*)</sup> Sozomeni Hist. eccles. libr. I. Cap 9.

praesta et nemini des ansam belli et pugnae, non Judaeo, non Graeco. Sicubi autem pietatem laedi videas, ne praeponas concordiam veritati, sed genere persiste usque ad mortem, ac neque sic ex animo pugnes, neque ex voluntatis proposito ipsum averseris; sed in rebus tantum pugnes. Id enim significat illud: *quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*. Et si ille pacem non servaverit, tu ne animum tuum tempestate repleas, sed ex proposito voluntatis amicus esto, ut dixi, veritatemque nusquam prodas \*). Exemplum hic S. Doctor deducit de dispari conjugio, sed quae proxime sequuntur, non ad id referenda sunt. Explicans enim versum 18. Epist.: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*, ait: «aliquando autem fieri nequit, ut cum de pietate sermo est, et quando de injuria affectis concertatur. Et quid miraris, si apud alios homines id fieri non semper possit: quando quidem inter virum et uxorem hanc solvit necessitatem, dicens: *Si infidelis discedit, discedat*, et caetera ut supra. Quid est, solvere necessitatem utique vinculi conjugalis, ut fidelis discedere possit, si infidelis discesserit? Et cur? Ne prodat veritatem. Haec enim usque ad mortem servanda est eique omnia postponenda. Male nos cum pluribus aliis in citat. Mantissa haec Chrysostomi verba: *generose persiste usque ad mortem*, ad conjugium remisimus, sunt enim de persistentia in veritate religionis sumenda. A majori ad minus concludit S. Pater, inquiens: si

\*) Tom. IX. oper. pag. 682.

juxta Apostoli doctrinam insolubilis conjugii nexus potius solvendus est, quam religio deserenda: quidni caetera omnia perdenda, ut veritas divina servetur? quidni omnia adversa toleranda, ne haec prodatur? Non quidem expresse ait S. Doctor, solvi conjugium ut sit licitum aliud, quia hoc non ad suum propositum: implicite tamen et hoc dicit. Nam aliis ex causis E. G. ob adulterium, ipsos inter fideles conjuges solutionem quoad thorum et mensam esse licitam, saepe docuit ipse in suis operibus; hic autem ex religionis dissensu solutionem astruens et ad Pauli locum remittens graviora proferat, ut ipsum rumpatur conjugii vinculum. — Sed, inquires, ut ex proposito voluntatis sis amicus, vult S. Doctor: quomodo autem amicus, si conjux fidelis, dimisso infideli, ad alias transeat nuptias? — Attende: quae hic objicis, valent quoque in casu separationis quoad cohabitationem. Sane non ex amore quis deserit conjugalem, sed necessitate compulsus, ne veritatem prodatur, ne periculum faciat fidei; sic nec necesse est, ut ex odio deserat illum novumque quaerat. Potest esse ex religione amicus, quanquam non amplius conjugalis. Qui enim ne perdat fides, permisit divortium, prohibuit odium, ne laedatur charitas.

Patres praecipue Graecos, secundas ipsa etiam intercedente prioris conjugis morte, aversatos fuisse, dicunt adversarii, nuptias, easque nominasse castigatum adulterium honestamque fornicationem: multo igitur magis iteratas, vivente adhuc parte ethnica, reprobasse, certum esse arbitrantur. — Hallucinan-

tur. Quae enim vera Patrum de nuptiis secundis sententia fuit, copiose explicavimus nostro in opere \*) ubi et verba illa dura castigavimus. Addo hic miram Auctoris *Disputationis inter Catholicum et Paterinum haereticum* interpretationem vocis: *honesta fornicatio*, quam erronee S. Chrysostomo adscribit \*\*). »Quod dicit Joannes Chrysostomus, ita exponitur, honesta fornicatio est, id est: honesta delectatio.« Quam si alicui placeat, habeat sibi.

Nos vero quid ad Theodoretum, qui in opere de haereticis fabulis \*\*\*) illud quoque, quod fidelem inter et infidelem existit matrimonium, generaliter insolubile esse docet? Tractans enim de matrimonio juxta doctrinam S. Pauli, inter fideles non nisi morte unius solvi posse conjugium tradit; deinde pergit: »Quin etiam iis, quae infideles habent viros, et iis qui infidelibus juncti sunt uxoribus, praecipit non solvere conjugium. Si quis enim, inquit, frater uxorem habet infidelem et illa consentit habitare cum eo, non dimittat illam; et si qua mulier habet virum infidelem et hic consentit habitare cum illa, non dimittat illum. Quodsi non solvit conjugium, quod fidei concordiam non habeat, clarum est, quod matrimonium legitimum esse noverit, non legi contrarium.« — Sed redeamus ad scopum, quem huic operi praeposuit Theodoretus. Statim

\*) Conf. Denkwürdigkeiten Tom. VI, P. I. 554.

\*\*) Thesaur. Anecdotor. D. Martene et Durand Tom. V. pag. 1714.

\*\*\*) Libr. V. Cap. 25. Tom. IV. edit. Sirmondi Halae recu-  
sae pag. 468.

in limine operis ait: „Cupitis scire, quae utrinque extra viam rectam novatae a quibusdam sint semitae, quarum finis est barathrum perditionis.“ Cap. 25. libri V. dein agit contra eos, qui matrimonia rejecerunt ac prohibuerunt. Refellit eos dictis S. Pauli, qui matrimonium justum esse docuit et sanctum, non solum inter fideles, quin etiam si dispares sint conjuges. Priorem igitur a S. Paulo propositum casum, si infidelis nempe consentit habitare, proferens, alterum tacita voce praetermittit, si nempe infidelis non consentiat habitare pacifice, tanquam ad suum argumentum non pertinentem. — Huic adnectere liceat aliam animadversionem. Disputat Theodoretus in opere citato ex iis, quae fidelibus in lege sunt praecepta, non autem quae singulari privilegio concessa agnoscuntur. Noluit enim gratias praedicare confessionis, sed contra haereticos fidei defendere decreta; quare in prooemio hortatur eos, qui lecturi sunt, ut haereticorum dogmatum unumquodque cum veritatis doctrina comparent. Hujus enim gratia quintum praecipue librum conscripsit.

Purgatis jam Graecis aut ad partes nostras reductis, transeamus ad Latinos Patres, qui hanc materiam tetigerunt. Sanctus Ambrosius obiter quaedam habet in Commentario super Lucam, in quibus explicandis mirum se torquet laudatus Le Plat. Explicans versum 18. Cap. XVI. *Omni qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur*, scribit S. Doctor: „Prius dicendum arbitror de lege conjugii, ut postea de prohibendo divortio disputemus.



Quidam enim putant omne conjugium a Deo esse, maxime quia scriptum est: *Quae Deus conjunxit, homo non separet.* Ergo si omne conjugium a Deo est, omne conjugium non licet solvi. Contra hanc conclusionem statim objiciendo reponit: »Et quomodo Apostolus dixit: *Quod si infidelis discedit, discedat?* In quo et mirabiliter noluit apud Christianos causam residere divortii, et ostendit non a Deo omne conjugium, neque enim Christianae gentilibus Dei judicio copulantur, cum lex prohibeat. Quibus verbis, ni me omnia fallant, nostrae causae assertio rite probatur. Ut igitur recta sit contra primam conclusionem antithesis, et cum ea cohaereant subsequenda verba, necesse est, ut intelligas locum Apostoli de omnimoda discessione. Quasi diceret Ambrosius: Apostolus tamen permittit discessum fidelis, solvitque conjugium, si infidelis prius discedat, quo docet, ut Christianus sua voluntate non det causam solutionis aut divortii, sed permaneat; si vero ab infideli injuste deseratur, disruptum sit ex parte Christiani conjugium, unde ostenditur, non omne conjugium esse a Deo et indissolubile: sic et nunc Christianus nullus Gentili legitime et tuta conscientia copulatur, cum lex hoc conjugium prohibeat. — Stabilitur haec nostra explicatio per ea, quae N. 8. habentur. » Ostendit hic locus (apud Mosen de libello repudii), quae propter fragilitatem humanam scripta sunt, non a Deo scripta. Unde et Apostolus: *Denuntio, inquit, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.* Et infra: *Caeteris, inquit, ego dico, non Dominus: si quis frater infidelem habet uxorem, et relinquit eam.* Itaque ubi

est impar conjugium, lex Dei non est. Et addidit: *Quod si infidelis discedit, discedat.* Simul idem Apostolus negavit, legis esse divinae, ut conjugium qualecumque solvatur: nec ipse praecepit, nec dedit deserenti auctoritatem, sed culpam abstulit destituto. Haec moraliter \*). Tria hic, meo iudicio, docet S. Doctor ex epistola S. Pauli. Primum: non qualecumque conjugium ex Lege Dei sit solvendum. Secundum Apostolum non praecepisse, si dispar conjugium, imo nec concessisse ut alter alteram relinquat, nempe si infidelis consentiat cohabitare pacifice. Tertium si autem infidelis discedat, tunc fidelis sine culpa esse et discedere posse, non solum a thoro et mensa, quod modo ipso discessu factum est, sed etiam novo cum fidele ineundo conjugio. Concludit argumentationem verbis: *Haec moraliter.* Hoc est: juxta morum disciplinam, quae institutore Apostolo viget in Ecclesia. Referenda enim putamus verba: *haec moraliter* ad priora dicta Apostoli: *Caeteris ego, non Dominus.* Interim nescio quare Jurisconsultus Le Plat in hanc clausulam tam grave ponat momentum, ut responsum expectet adversariorum.

Magnum Hipponensium antistitem, S. Augustinum sibi utraque pars litigantium vindicare conatur, et quem principem Gratianae resolutionis de dissolubilitate ejusmodi disparis matrimonii auctorem asserit celeberrimus Lovaniensis Professor Ze-

---

\*) Tom. I, operum edit. parisiens. pag. 1472.

gerus Vanespen \*), hunc contrariae sententiae de ejusmodi matrimonii indissolubilitate maximum Patronum laudat Lovaniensis Doctor Le Plat; et quod magis mirandum, uterque provocat ad libros S. Augustini *de adulterinis conjugis*, et ad opusculum *de fide et operibus*. Quid est hoc? Occidentalis Ecclesiae lumen an fors duplici locutus ore aut bicipiti scripsit calamo? Discipulis de sensu Magistri concertantibus quis extraneus arbiter esse potest? Si S. Doctor nostrae quaestionis statum dictis in opusculis revera examinaverit ac discussisset, causam arbitror *lingua Ecclesiae*, ut cla. Gispert Professor Tolosanus \*\*) S. Augustinum nominat, ita fuisse decisam, ut frustranea nova institueretur nostro tempore inquisitio. "Quid vero illic spei est, ut Coelestinus Papa \*\*\*) scribit, ubi magistris tacentibus hi (Jansenii asselcae) loquuntur? Qui si ita est, eorum discipuli non fuerunt." In quinque diversis locis, quae accurate citavimus in Mantissa nostra, S. Augustinus agit de dispari matrimonio, ubique tamen supponit, infidelem velle cohabitare pacifice quin periculo perversionis exponatur fidelis. Ea in quaestione, conjugium non esse solvendum, manum dare, nemo nostrum recusabit. Quam diu enim duo, quanquam religione ac fide

\*) Brev. Comment. in Part. II. Gratiani Caus. 28. Tom: III. oper. edit. noviss. Coloniens. fol. 655.

\*\*) Vera Idea Theolog. in 22 p. Jur. 3. art. I. edit. venet. 1750.

\*\*\*) Epist. ad Episcop. Gallic. apud Constant. Epist. Roman. Pontif. pag. 1186.

dispares, intima voluntate ac externa conversatione unum sunt, matrimonium exstat legitimum nec christiani privilegii erit locus, ipso decedente Apostolo. Si vero infidelis discedit aut sine contumelia Servatoris societatem agere nolit? Utitur quandoque loquendi formula S. Augustinus, quae probabili interpretatione fidelis libertatem affirmat. Ad Hilarium enim scribit: *Quod si infidelis, inquit, discedit, discedat. Non enim est servituti subiectus frater aut soror in hujusmodi, id est, si infidelis noluerit esse cum conjugate fideli, hic agnoscat fidelis suam libertatem, ne ita se subjectum deputet servituti, ut ipsam dimittat fidem, ne conjugem amittat infidelem.\*)* Quam libertatem agnoscat fidelis? Illam quae ipsum liberat a thoro et mensa, cujus communitas modo sublata est, per discessum infidelis; an a lege conjugis infidelis? Si pars christiana abhuc vinculo conjugii alligata est cum infideli, suam oportet, agnoscat alligationem, non liberationem sive libertatem a servitute conjugali. Quis alligatam liberam dicet? Si autem libera; aliam sibi eligere potest thori sociam novumque inire conjugium. Hoc quidem non aperte docet S. Doctor, sed ex laudata loquendi formula justo ordine concludere quis potest; sicut et in libro I. de adulterinis conjugiiis\*\*) videtur insinuare, vinculum ejusmodi non esse omnino iudissolubile. *Cur, inquit, non expediat etiam infideles conjuges dimitti a fidelibus — si consentiant habitare*

\*) Epist. 157. ad Hilarium N. 51. Tom. II. pag. 336.

\*\*) Cap 15. Tom. VI. pag. 394.

pacifice — causa evidenter expressa est. Non enim propter vinculum cum talibus conjugale servandum, sed ut adquirentur in Christum, recedi ab infidelibus conjugibus Apostolus vetat. Quare non propter vinculum conjugale servandum, si illud nullo in casu solvi liceat? Spes lucri infidelis gravior ipsi est ratio, quam vinculum conjugale, quare non expediat, infideles dimitti a fidelibus; unde et ipsi opinio insedissee videtur, solvi posse vinculum conjugale, si infidelis dissentiat pacifice cohabitare. Contrariae quidem fuisse persuasionis Pollentium, qui S. Augustino quaestionem proposuit, videmus ex responso Doctoris; vetitum enim esse sentiebat a Paulo, ne conjuges infideles dimittantur a fidelibus, quare et concludere debebat, ipso in casu, si infidelis dissentiat habitare cum fidei, minime vinculum solvi posse istius conjugii. Si enim discedere non liceat christiano aut sese consortio infidelis separare; multo minus ipsum solvere conjugii vinculum. Cum viro religioso Pollentio nonnullos alios eandem fovisse sententiam, facile credimus, et si exinde colligere velit, eo tempore dubium fuisse, an ex Pauli doctrina conjugium dispar, etiam si infidelis injuste discesserit, solvi posset, nolumus refragari. Immo ipse S. Augustinus, an omnibus quaestionibus dubiisque enodatissime satisfecerit, nesciebat, et sentiebat, se non pervenisse ad hujus rei perfectionem, ut ipse scribit in libr. Retractationum.

Ex illis vero, qui saeculo VIII. ex S. Augustino collectanea sive excerpta fecerunt, quos inter

Venerab. Beda, Florus vel Lugdunensis diaconus vel Monachus Trudianus'), Atto Vercellensis ac caeteri sunt, nihil certi erui licet. Plerumque verba S. Doctoris ex diversis ejus operibus recitant, quin explicationem obscuri sensus ex ingenio suo addant. Praetulerunt enim morum doctrinam dogmatumque veritatem tradere verbis ecclesiastici Doctoris, quam suis. Illud autem probe notandum, illorum neminem ex mente S. Augustini docuisse, quod matrimonium ejusmodi dispar, si pars infidelis nolit cohabitare sine contemptu religionis, ex auctoritate Ecclesiae publica non possit dirimi. Nonnulli quidem Patres fornicationem Spiritus, quae est infidelitas, adaequant cum fornicatione carnis sive adulterio, et utrique quoad jura conjugii eandem attribuit vim. » Propter quodlibet fornicationis genus, sive carnis sive spiritus, ait S. Augustinus\*\*), ubi et infidelitas intelligitur, et dimisso viro non licet alteri habere et dimissa uxore non licet alteram ducere: quoniam dominus nulla exceptione facta dicit: *si uxor dimisserit virum suum et alii nupserit moechatur. Et: Omnis qui dimittit uxorem suam et ducit alteram moechatur.* Eodem fere modo S. Chrysostomus. Ex quo concluditur, quod, sicut fornicatio carnalis sive adulterium non dirimit vinculum matrimonii, ita nec fornicatio spiritus. Bene hoc, nec nos respuimus hanc conclusionem. Quis

\*) Confer. Mabillon Saecul. III. Benedictino in Beda Tom. III. pag. 326. edit. venet. et Oudinum Commentar. de scriptoribus Ecclesiast. Tom. I. in Flore.

\*\*) Libr. I. de conjug. adulterin, Cap. 25. l. cit.

enim nostrum unquam tam insane erit \*) mentis, ut astruat, infidelitatem ex natura sua vinculum dirimere conjugii legitime contracti? Quod inter infideles indissolubilis existat conjugii nexus; fate-  
mur omnes; quod hic infidelitate existente vel per-  
durante non rumpatur, pariter concedimus; si vero  
unus ex infidelibus conjugibus convertatur ad fidem  
et alter renuat cohabitare pacifice, tunc factus fide-  
lis non vi infidelitatis alterius, sed privilegii Christi  
a divo Paulo promulgati libertatem consequitur,  
alias nuptias ineundi. Haec nostra est assertio,  
quam non tractat S. Augustinus. — Per illam for-  
nicationem spiritus seu infidelitatem non intelligen-  
dam esse nonnulli putant infidelitatem originariam,  
qualis est in Ethnicis natis, sed subsequentem,  
qualis in Apostatis agnoscitur. Haec recte adulterio  
aequiparatur et eadem sibi vindicat jura. Sicut  
enim adulterium immediate opponitur fidei conjugali,  
ita Apostasia conjugii, quod inter fideles existit,

---

\*) Nemo antiquorum ejusmodi vim tribuit infidelitati, quan-  
quam non omnes admittant privilegium Christi. Cla-  
rwardus Tapper, Theologus Lovaniens scribit: An hoc  
fiat dispensatione ejus, cujus est institutio et positiva  
ordinatio de matrimonii indissolubilitate quique naturae  
est auctor: an potius ex rerum natura et qualitate, ut  
non tam dissolvatur matrimonium quam transferatur et  
commutetur in melius Deoque gratius conjugium, nempe  
matrimonium ethnicum et profanum in christianum et  
spirituale, et hujus saeculi matrimonium in alterum cum  
Domino auctore conjugium, sicut vota omnia commutantur  
in votum religionis, tametsi tertii magnum concurrat prae-  
judicium, dubium est, de quo omnino certe constrare non  
potest.» Tom. II. Explication. articulor. venerandae fa-  
cultatis theologiae general. Lovaniens. pag. 432. edit.  
Lovan. 1555.

sacramento, quo indissolubilis nexus magis constringitur. Verum in toto primo libro de adulterio conjug. loquitur S. Augustinus de infidelitate originaria, ut legenti patebit; quare et locum citatum in fine libri de eadem infidelitate esse interpretandum remur. Haec tamen interpretatio fors magis convenit verbis S. Chrysostomi, qui idololatriam et infidelitatem nominat *adulterium spirituale*. Sicut enim adulter relicta sua se convertit ad alienam, ita Apostata et idololatra relicto vero Deo adorat falsos Deos.

Vane igitur illi, qui ex adversa stant acie, nostro iudicio gloriantur in S. Augustino aliisque Patribus, cum vix ullus eorum easum attingat, aut excepto fors Tertulliano, illis faveat. Sed qui multos promisit, adhuc unum quem caeteri ignorabant, in fine suae de Mente Tertulliani Diss. producit Cla. Klupfelius, Magnum Gregorium. Audiamus. In Epistola ad Theotistam Patritiam libr. IX. ex Reg. Cap. 59. scribit S. Gregorius: Si dicunt, religionis causa conjugia debere dissolvi, sciendum est, quia, etsi hoc lex humana concessit, lex divina tamen prohibet. Per se enim veritas dicit: quod Deus conjunxit, homo non separet. Quae etiam ait: *non licet dimittere uxorem excepta causa fornicationis*. Quis ergo huic caelesti legislatori contradicat? Scimus, quia scriptum est: *erunt duo in carne una*. Si ergo vir et uxor una caro sunt et religionis causa vir uxorem dimittit, vel mulier virum in hoc mundo remanentem vel etiam fortasse ad illicita vota migrantem, quae est ista migratio? Vix nobis per-



suadere possumus, Klupfelium, virum acuti sane ingenii non intellexisse, quod Magnus S. Gregorius in ea Epistola, quae in nova editione est quadragesima quinta libri XI., agat non de matrimonio dispari, sed de matrimonio inter fideles consummato, quorum unus relicto saeculo monasticam colere cupit vitam. Sufficienter hunc innuunt sensum verba Pontificis: „Si vir et uxor una caro sunt, et religionis causa vir dimittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel etiam fortasse ad illicita migrantem; quae est ista conversio, in qua una eademque caro et ex parte transit ad continentiam et ex parte remanet in pollutione? Si vero utrisque conveniat continentem vitam ducere, hos quis audeat accusare, quando certum est, quod omnipotens Deus, qui minora concessit, majora non prohibuit?“ \*) Alienissima haec esse a nostro proposito, quis primo oculo non videt?

Meliora dicamus. Saeculo VIII et IX. eam viguisse sententiam inter scriptores, quod matrimonium gentilium, si unus fuerit conversus ad fidem, dissolvi possit et conversus valeat ad alias transire nuptias, colligere licet ex Rhabano et libris poenitentialibus, quos citavimus in nostra Mantissa. Quamquam ejusmodi poenitentialia auctoribus, quorum nomina proferunt, raro esse adscribenda, alibi docuimus et ostendimus, quandoque paradoxa continere; tamen cum in eo, quod conversus Gentilem conjugem dimittere valeat et novam ducere, conveniunt, recta

\*) Tom. VIII. oper. S. Gregorii edit. venet. pag. 275.

via concludere possumus, illis temporibus disciplinam hanc in ecclesia fuisse observatam. Poenitentiales enim libros ideo sacerdotibus novimus esse traditos, ut juxta eorum praescripta causas cognoscerent et judicarent. Praeterea in Poenitentiali, qui a Cla. Mansi<sup>\*)</sup> tribuitur Venerab. Bedae, habetur, quod conversus, si mulier infidelis discesserit ab ipso viro suo despiciens eum, nolens revertere et reconciliari viro, post quinque annos cum consensu episcopi aliam licite accipere posset uxorem. Res ergo ad Episcopum loci erat deferenda et ab ipso judicanda, unde observantia disciplinae recte deducitur.

III. Dilucidatis eum in modum prioribus Ecclesiae Patribus ac Doctoribus, descendamus nunc ad posteriores, quos Scholarum principes veneratur Ecclesia. Post Petrum Lombardum, Sententiarum Magistrum, praecipuos habemus S. Thomam Aquinatem, Doctorem Angelicum, S. Bonaventuram, Doctorem Seraphi cum et tandem S. Antonium. Nos<sup>\*\*)</sup> quidem non latet, hodiernum praeprimis Germaniae

<sup>\*)</sup> Tom. I. Supplement. Concil. pag. 386.

<sup>\*\*)</sup> Sicut in rempublicam, ita et in rem theologiam nostris diebus quaedam irrepsisse videtur Demagogia, quae detrusis e Cathedra venerandis per saecula magistris novos plena buccina proclamat reges, qui paucis nuper pagellis inter suos noti nec ab Ecclesiae senatu probati nec sacro oleo uneti cognoscuntur, et fallacis Philosophiae novam Theologiae Cathedram erigere moliantur. Miranda juvenis cujusdam in Theologia Professoris confessio, Dr. I. B. Baltzer in opusculo: Ueber die Entstehung der in neuer Zeit im Protestantismus und im Catholicismus hervorgetretenen Gegensätze, mit besonderer Rücksicht auf Hermes und seine bisherigen Gegner. Bonnae 1853.

genium minime sapere Scholasticos, quos hujus assentatores brevi manu quasi stramineos repellunt, quin eorum volumina vel a longe aspexerint aut a limine salutaverint. Ut autem videant, qua acribeia quaestiones ejusmodi examinaverint Scholarum principes, quibusque ducti rationibus sententiam decisivam tulerint, synopsis faciamus ex Lombardo, S. Thoma, Bonaventura et Antonino.

Sententiarum Magister caeteris brevior, libro IV. dist. 59. primo discutit quaestionem generalem de matrimonio infidelium, dein de conjugio fidelis et infidelis, quam solvit textibus S. Augustini; descendit tandem ad eam: *Si fideli liceat aliam ducere, infideli discedente vel dimissa?* Huic satisfacit verbis Ambrosiastri, quem falso citat sub nomine S. Ambrosii Doctoris, et resolvit, quod aliam ducere possit. Determinans hanc resolutionem ait: "Attende his praedictis contraria posse videri, ita ut sibi Ambrosius contradicere videatur. Sed distinguendum est hic aliud esse dimittere volentem cohabitare, aliud dimitti propter Deum ab illo qui horret nomen Christi. Ibi lex benevolentiae non servatur; hic veritas custoditur. Et ideo cum liceat dimittere volentem cohabitare, non tamen ea vivente aliam ducere licet. Discedentem vero sequi non oportet: et ea vivente aliam ducere licet. Sed hoc non est intelligendum, nisi de his, qui in infidelitate sibi copulati sunt")."

\*) Utor edit. Iovaniens. de anno 1557. in qua pag. 466. cit. loc. legitur.

Hunc non caeco modo sequens, sed omnia aequalitate ponderans S. Thomas, rationes pro et contra proponendo ita procedit. Primo ponit quaestionem: utrum fidelis discedens ab uxore infideli possit aliam ducere in uxorem? Cui respondet: "Videtur quod fidelis discedens ab uxore infideli non possit aliam ducere in uxorem, quia insolubilitas matrimonii est de tali ratione ipsius, cum repudium uxoris sit contra legem naturae, ut dist. 53 dictum est: sed inter infideles verum erat matrimonium, ergo nullo modo potest illud matrimonium solvi; sed manente vinculo matrimonii ad unam non potest aliquis cum alia contrahere, ergo fidelis discedens non potest cum alia contrahere. — 2. Crimen superveniens matrimonio non solvit matrimonium: sed si mulier velit cohabitare sine contumelia creatoris, non est solutum vinculum matrimonii, quia vir non potest aliam ducere, ergo peccatum uxoris, quae non vult cohabitare sine contumelia creatoris, non solvit matrimonium, ut possit libere vir aliam uxorem ducere. — 3. Vir et uxor sunt pares in vinculo matrimonii: cum ergo uxori infideli non liceat vivente viro alium virum ducere, videtur quod nec fideli liceat. — 4. Favorabilius est continentiae votum, quam matrimonii contractus: sed viro fideli uxoris infidelis non licet, ut videtur, votum continentiae emittere, quia tunc uxor fraudaretur matrimonio, si postmodum converteretur, ergo multo minus licet ei matrimonium contrahere cum alia. — 5. Filius, qui remanet in infidelitate, patre converso, amittit jus paternae haereditatis et tamen si postea convertitur, redditur ei sua haereditas, etiam si alius

in possessionem ejus intravit; ergo videtur a simili, quod si uxor fidelis postea convertatur, quod sibi sit reddendus vir suus, etiam si cum alia contraxerit, quod non posset esse, si secundum matrimonium esset verum, ergo non potest contrahi cum alia.

*Sed contra.* Matrimonium non est ratum sine sacramento baptismi: sed quod non est ratum, potest dissolvi; ergo matrimonium in infidelitate contractum potest dissolvi, et illa soluto matrimoniali vinculo licet viro alteram ducere uxorem. — 2. Vir non debet cohabitare uxori infideli nolenti cohabitare sine contumelia creatoris. Si ergo non liceret ei aliam ducere, cogeretur continentiam servare, quod videtur inconveniens, quia sic ex conversione sua incommodum reportaret.

*Respondeo.* Dicendum, quod quando alter conjugum ad fidem convertitur altero in infidelitate remanente, distinguendum est, quia si infidelis vult cohabitare sine contumelia creatoris, sine hoc quod ad infidelitatem inducat, potest fidelis libere discedere, sed discedens non potest alteri nubere; si autem infidelis non velit cohabitare sine contumelia creatoris in verba blasphemiae prorumpens, et nomen Christi audire nolens, tunc si ad infidelitatem pertrahere nitatur, vir fidelis discedens, potest alteri per matrimonium copulari. — Ad I. ergo dicendum, quod matrimonium infidelium imperfectum est, ut dictum est: sed matrimonium fidelium est perfectum, et ita est firmitus. Semper autem firmitus vinculum solvit minus firmum, si sit ei contrarium,

et ideo matrimonium, quod post in fide contrahitur, solvit matrimonium, quod prius in infidelitate contractum erat: unde matrimonium infidelium non est omnino firmam et ratam, sed ratificatur postmodum per fidem Christi. — Ad II. dicendum, quod crimen uxoris nolentis cohabitare sine contumelia creatoris absolvit virum a servitute qua tenebatur uxori, ut non posset ea vivente aliam ducere, sed nondum solvit matrimonium: quia si blasphema illa converteretur, antequam illud matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus: sed solvitur per matrimonium sequens, ad quod pervenire non posset vir fidelis non solutus a servitute uxoris per culpam ejus. — Ad III. dicendum, quod postquam fidelis contraxit, solutum est vinculum matrimonii ex utraque parte, quia matrimonium non claudicat quantum ad vinculum, sed quandoque claudicat quantum ad effectum, unde in poenam uxoris infidelis ei indicitur, quod non possit cum alio contrahere magis quam ex virtute matrimonii praecedentis: sed si postea convertatur potest ei concedi dispensative, ut alteri nubat, si vir ejus aliam uxorem duxit. — Ad IV. dicendum, si post conversionem viri sit aliqua probabilis spes de conversione uxoris, non debet votum continentiae vir emittere, nec ad aliud matrimonium transire, quia difficilius converteretur uxor viro suo sciens se privatam, si autem non sit spes de conversione, potest ad sacros ordines vel ad religionem accedere, prius requisita uxore, quod convertatur, et tunc si postquam vir sacros ordines accepit, uxor convertatur, non est sibi vir suus reddendus, sed debet sibi imputare in poenam tardae

conversionis, quod viro suo privatur. — Ad V. dicendum, quod vinculum paternitatis non solvitur per disparem cultum, sicut vinculum matrimonii, et ideo non est simile de haereditate et uxore. Ita S. Thomas \*).

Eandem sententiam iisdemque fere rationibus propugnat S. Bonaventura. Postquam enim pro more rationes dubitandi praemiserit et solverit, facit hanc Conclusionem: *Matrimonium infidelium altero veniente ad fidem, et infideli nolente cohabitare sine contumelia nominis Christi, vel impulsu ad fidelitatem, potest frangi quoad vinculum apud infidelem.* Quam sic explicat et probat. Dicendum quod loquendo de solutione quantum ad cohabitationem et mutuam servitatem, hoc est in potestate fidelis, sed loquendo de solutione quantum ad ruptionem vinculi, distinguendum est: quoniam infidelis aut vult cohabitare aut non. Si vult cohabitare, aut cum blasphemia nominis Christi, aut sine. Si sine, aut pertrahat ad infidelitatem aut non. Si vult cohabitare sine blasphemia nominis Christi, et ita quod non pertrahat ad peccatum, non solvitur matrimonium, quia nec injuriatur, nec facit contumeliam Deo, nec matrimonio, nec marito. Si autem discedit, nec vult cohabitare sine contumelia Creatoris, vel sine impulsione ad infidelitatem, in his tribus casibus potest a fidei dimitti, et per contumeliam factam matrimonio et creatori vinculum potest frangi, et potest cum alia contrahere, ut dicit Ambrosius et In-

\*) Commentar. in lib. IV. Sentent. dist. 59. Tom. VII. P. II. pag. 190. edit. Antverp. 1612.

nocentius *extra de divortiis. Quanto te novi. Et. Gaudemus.* Concedo igitur, quod solutionem matrimonii contracti in infidelitate faciunt: primum est, ipsius imbecillitas; secundum est, cultus disparitas; tertium Creatoris vel matrimonii injuria. Primum reddit possibile ad solutionem, secundum disponit et tertium dissolvit. Matrimonii imbecillitas est ratione signationis imperfectae, quam habet apud infideles, et ratione defectus baptismi. Unde dicitur, quod illud matrimonium est legitimum, sed non ratum; quia ut dicit Innocentius, Sacramentum fidei, id est, baptismi, quod semel admissum est, ratum efficit sacramentum conjugii, ex parte scilicet suscipientis est intelligendum: et hoc est, quia infideles non possunt ita ligari in individuum vitae consuetudinem, quin alter possit transire ad fidem: et si non vult commutari, potest simpliciter separari, cum perfecta fides adveniat suscipiendo sacramentum fidei. Cultus disparitas est secunda ratio, quia tunc advenit alteri personae fortius vinculum. Injuria matrimonii sive Dei est, cum non vult cohabitare aut non sine contumelia Creatoris, et tunc vinculum illud solvitur, quia repugnat vinculo, quo fidelis alligatur Deo. Concedendae igitur sunt rationes probantes, quod solvitur matrimonium his concurrentibus. a \*)

S. Antonius, caeteris junior, assumpta conclusione, quod ejusmodi matrimonii vinculum frangi possit in casibus a d. Thoma propositis, disputat

---

\*) Tom. V. operum edit. Moguntin. 1609. Part. II. pag. 444.



de termino, quo revera solvitur, ita ut aliud valide contrahi possit, ubi varias refert Doctornm sententias. Ultimo scribit: „Alii dicunt, quod non solvitur matrimonium illud, quousque contrahatur secundum matrimonium. Potest enim imaginari, quod in matrimonio infidelium non est aliquod reale vinculum de mundo plusquam in sponsalibus; cum non sit sacramentum ante baptismum utriusque vel alterius ex statuto ecclesiae potest illud matrimonium solvi, sicut sponsalia multis casibus solvuntur statuto ecclesiae. Unde sicut per matrimonium sequens solvuntur sponsalia praecedentia, sic per consequens matrimonium tollitur praecedens non ratum sponsalibus comparatum.“ ^)

IV. Post principes theologos orbis universus erat unius ejusdemque sententiae, quando praesens decidenda erat quaestio, ita ut merito sententia nostra omnibus *communis* appellari possit. Quid autem huic communitati generalique consensioni in *rebus ad fidem et mores spectantibus* tribuendum sit, praeclare docet laudatissimus Melchior Canus. \*\*) Cum enim inter ipsos Theologos scholasticos magna fere ubique dissensione certetur, ita ut in hac parte jure forsitan reprehendantur, certe non idem omnes assererent, nisi eodem divino spiritu permoverentur. Nec minus mirandum est, varias scholae factiones doctoresque tam inter se discrepantes in unam eam-

^) Tert. part. Summae. Titul. I. Cap. 6.

\*\*) Libr. VIII. de locis theolog. Cap. 4. pag. 433. edit. Viennens,

demque sententiam concurrisset, quam septuaginta interpretes diversis (ut fertur) cellulis inclusos, in unam eandemque convenisse interpretationem. Sententiam igitur communi Theologorum calculo approbatam, omnino esse certam habendam, contrariam vero periculosam, idem demonstrat Canus. Si quae enim in quaestione universi Theologi eadem inter se concinunt, profecto si in eo errant, Ecclesiam item errandi periculo exponunt. Sed de hoc iterum recurret sermo Cap., sequent.

Scimus porro, quando et ubi contraria sit exorta opinio, quae tanquam nova et singularis ab ipsis ejus assertoribus est agnita, et ab aliis statim explosa. Testes sunt, quas in fronte Mantissae nostrae protulimus, dissertationes. Quid vero de his in Theologia novitatibus sit sentiendum, qui nescit, consulat Vincentii Lerinensis commonitorium.

Recapitemus nunc singula. Ne videamur asserti nostri nimium tenaces, concedamus, per melicet, testimonia Patrum, qui primis octo saeculis vixerunt, esse incerta aut dubia. Obscurissimam et implicatissimam de conjugii esse quaestionem, fassus ipse S. Augustinus, nec se in potestate esse, omnes sinus ejus explicandi. Multa sane cognoscimus, primis saeculis quae nondum fuerint certa aut decisa, quae autem tempus posterius dilucidavit enucleavitque. Nec ejus erunt adversarii impudentiae, ut suam nuper natam sententiam in antiquitate prima fuisse fundatam Patribusque Ecclesiae probatam serio defendant. Testes enim, quos proferre solent,

aeque obscuri ac dubii sunt, multique eorum ne casum quidem nostrum tangunt. Merito igitur *Majores nostri* quaestionem hanc  $\odot$  id est, *Chryphia* signabant.

Post saeculum octavum omne dubium videtur sublatum, cum *Rhabanus Maurus*, vir sui aevi eruditissimus, postea *Archiepiscopus Moguntinus* decisive dissolubilitatem ejusmodi matrimonii docet. Sequitur quidem *Ambrosiastri* expositionem, verum et ipse scire potuit et debuit, quis fuerit ea in causa ecclesiae sensus, cum multa de conjugio scripserit et habitis conciliis sapienter statuerit.

Haec tandem sententia saeculo scholastico facta est ecclesiastica legibusque publicis roborata, qua in possessione permansit usque ad medium saeculi decimi octavi, ubi a nonnullis privatis *Doctoribus* ad incudem est revocata.

### Caput III.

Instruitur argumentum ex praxi Ecclesiarum et praecipue Ecclesiae Romanae, nec non ex decretis Pontificum Roman.

#### §. 1.

*Argumentum ex praxi Ecclesiarum et praecipue Ecclesiae Romanae.*

I. Non omne littera docet. *Christus Jesus*, *Auctor fidei regiminisque ecclesiastici institutor illa*

tantum explicite constituit, quae circa mysteria fidei erant Ecclesiae scitu necessaria, multa alia circa eadem Apostolis revelanda spiritui sancto reservavit, plurima quae ad sacramentorum administrationem morumque rectam informationem spectant, ministerio ecclesiastico sub sui spiritusque S. promissa assistentia ordinanda reliquit. A primo etiam saeculo Apostoli ministeriique ecclesiastici Rectores suo functi officio, ordinabant illa quae vel utilia videbantur vel necessaria, quorum nonnulla scripto tradita et in Canonum codicem relata sunt; plura autem minoris momenti aut rarioris contingentiae nec communis utilitatis continuato usui ac observantiae reservata sunt, ac de uno ad alium haereditario more traducta. Quam observantiam, quem agendi in rebus sacris usum nos hodie *praxin* vocamus, quae auctoritate antistitum tacita roborata, quandoque particularis, quandoque generalis sua et demonstrandi veritate et obligandi fideles vi non caret.

«Pleraque enim in verbis scripturarum intelligere non valentes, inquit S. Augustinus Libr. de mendac. ad consentium Cap. 15. in factis sanctorum colligimus, quemadmodum oporteat accipi, quod facile in aliam partem duceretur, nisi exemplo revocaremur.

Ipsae sane Apostolus in ea, quae nostrae diss. Cap. I. praebuit materiem, prima Epistola ad Corinth. Cap. XI. deducit ex praxi aut consuetudine argumentum ad convincendos protervos, dicens 12. 15. *Vos ipsi judicate: decet mulierem non velatam*

orare Deum? Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: Mulier vero si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt? Si quis autem videtur contentiosus esse: nos tamen consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Quae verba nitide explicans S. Thomas Lect. 5. ponderansque apostolicam argumentandi rationem scribit: „Si quis autem videtur contentiosus esse, ut scilicet rationibus praedictis non aquiescat, sed confidentia clamoris veritatem impugnet, quod pertinet ad contentionem, ut dicit Ambrosius, hoc sufficiat ad comprimendum talem, quod nos judaei in Christum credentes talem consuetudinem non habemus, scilicet quod mulieres orent non velato capite, neque etiam tota ecclesia Dei per gentes dispersa, unde si nulla esset ratio, hoc solum deberet sufficere, ne aliquis ageret contra communem ecclesiae consuetudinem, unde Augustinus dicit in Epist. ad Casul., quod omnibus, in quibus nihil certi diffinit sacra scriptura, mos populi Dei atque instituta Majorum pro lege habenda sunt.“

Ad hanc apostolicam argumentandi rationem provocat antiquissimus Tertullianus in libro *de Corona militis*, ubi post plura ait: „Si legem nusquam reperio, sequitur ut traditio consuetudini morem hunc dederit, habiturum quandoque Apostoli Auctoritatem ex interpretatione rationis. His igitur exemplis renunciatum erit, posse etiam non scriptam traditionem in observatione defendi, confirmatam consuetudine, idonea teste probatae tunc tra-

ditionis ex perseverantia observationis. Consuetudo autem etiam in civilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex.\* ^) Lege quoque libr. de velandis Virginibus, ubi Cap. 1. simile terit argumentum. — Caeteri quotquot secuti sunt Patres, magni semper aestimarunt Ecclesiarum observantiam eamque quasi legem venerati sunt. Ut ex multis paucos tantum proferamus, primo Origenes Homil. v. in Num. recensitis variis Ecclesiarum consuetudinibus et observantiis ait: • Sed in ecclesiasticis observationibus sunt nonnulla hujusmodi, quae omnibus quidem facere necesse est, nec ratio eorum tamen omnibus patet.\* \*\*) Simili plane modo scribit S. Basilius libr. de Spiritu S. • Si consuetudines, quae scripto proditae non sunt, tanquam haud multum habentes momenti aggrediamur rejicere, imprudentes Evangelium in ipsis rebus praecipuis laedemus, imo potius praedicationem ad nudum nomen contrahemus.\*\*\*) Sic pergit plures ritus ac observantias recensere, quas, qui ab innitio praescripserunt tradideruntque posteris, usu semper cum tempore progrediente, ipsas longa consuetudine in ecclesiis irradicarunt. Quoties S. Augustinus in suis operibus praesertim si res dubiae tractandae erant, confugit et remisit ad praxin Ecclesiarum? Legendus liber de nuptiis et concupiscent. ubi dicit: • In hac veluti angustia quaestionis non aliquid novum aut insolitum dicam, sed quod sanitas ob-

^) Cap. 4. Tom. IV. pag. 295.

\*\*) Tom. VI. oper. edit. Winceburg. pag. 288.

\*\*\*) Cap. 27. Tom. III. pag. 54.

servat Ecclesiae. Vide quoque ejus Epist. ad Januarium. S. Hieronymus in Epist. 71. ad Lucinium multa probat ex observantia ecclesiastica; et in Dialogo adv. Luciferianos scribit: „Etiam si scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtineret. Nam et multa alia, quae per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptae legis usurparunt.“<sup>\*)</sup>

Sed propius nos ad causas matrimoniales convertamus. Multa circa fidelium nuptias ex Ecclesiarum observantia ac Christianorum moribus fuisse introducta, sufficientibus, ni nos omnia fallunt, demonstravimus alibi documentis.<sup>\*\*)</sup> Quaedam impedimenta dirimentia ex sola consuetudine originem trahere, quis ignorat? Unde S. Anselmus cum de nuptiis consanguineorum a fratre fuerat interrogatus, ad consuetudinem ipsum remisit, et respondit. „Dicerem simplicem et puram esse rationem, eorum obedire auctoritati, quibus dictum est: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*; et Ecclesiae sequi consuetudinem: *cujus consuetudines velle convellere, genus est haeresis.*“<sup>\*\*\*)</sup> Porro quod nuptiae in Ecclesia benedicantur; item quod Corruptorum vel Corruptarum nuptiae olim non, nunc tamen benedictione sacra initiarentur; iterum quod secundae nuptiae

\*) Tom. II. pag. 180.

\*\*) Conf. Denkwürdigkeiten VI. Tom. II. Part.

\*\*\*) Libr. de Nuptiis Consanguineor. Cap. I. pag. 141. edit. II. Gerberon.

apud Graecos non coronentur, apud Latinos non benedicantur, sola praxis lex est et magistra et regula. Quam igitur in his similibusque aliis rebus praxis Ecclesiarum sibi vindicat vim et auctoritatem, eandem cur in nostro casu ei denegemus, cum gravius sit objectum constantiorque ipsa praxis et communior.

Profecto ubique viguit semper hic ordo, ut non quisque in rebus divinis et ecclesiasticis praesertim majoribus pro suo agere possit arbitrio, sed Presbyteri causas referre debebant ad Episcopum, sine quo ipsis nihil agere licuit, Episcopus consulebat suum Presbyterium quod probatissimis constabat sacerdotibus et diaconibus; aut casum suis proponebat comprovincialibus, vel referebat ad Synodum aut tandem ad universae Ecclesiae Caput, summum Pontificem. Luce clariora sunt in historia ecclesiastica hujus ordinis monumenta. Ipsi autem omnes in causis dijudicandis et decidendis respiciebant, si non leges scriptae extabant aut canones, ad acta Antecessorum aut observantiam Ecclesiarum, quae tradita a Patribus sancte custodire solebant. En hic radix praxeos, quae in terra sancta est collocata et ex qua progrediente tempore ortae sunt traditiones, quas mere orales dicunt Theologi. Nemini enim in mentem venerat, Praedecessores, qui ab Apostolis erant instructi, accusare, quod vel ignoranter egerint aut impune erraverint aut sine duce judicaverint. Enimvero si quis Episcoporum forte aut ex ignorantia aut ex levitate non recte definierat aut perfunctorie rem gesserat, sta-



tim acta a reclamantibus collegis rescindebantur ac de novo instruebantur. Ubi error unius communem aliorum firmabat observantiam, quae quasi speculum inde facta actionum ecclesiasticarum. In disciplinaribus, quae consentientibus Episcopis quandoque variari possunt, magni inde aestimata est observantia, sed maximi in rebus quae ad sanam morum informationem, aut ad valorem cujusdam actionis majoris etc. spectabant, ita ut observantias laedere Majorum, tam grave reputaretur piaculum, quam contemnere traditiones et canones scriptos. Unde S. Leo Papa elegantissime pro more suo ait: Dubitandum non est, delectissimi, omnem observantiam christianam eruditionis esse divinae, et quidquid ab Ecclesia in consuetudinem est devotionis receptum, de traditione apostolica et de Sancti Spiritus prædare doctrina: qui nunc quoque cordibus fidelium suis praesidet institutis, ut ea omnes et obedienter custodiant et sapienter intelligant.\*^)

II. Universali tamen apud omnes auctoritate valuit observantia Ecclesiae Romanae, ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio.\*\*) Ipsa enim omnium Ecclesiarum mater et magistra cum in rebus sacris extraneae cuivis con-

\*) Serm. 79. Tom. I. edit. Ballerin. pag. 316.

\*\*\*) S. Irenaeus Libr. III. contr. haeres. Cap. 8. Tom. I. edit. Massueti venet. pag. 175.

versationi inimica, veteris autem domesticae tenacissima, omni aevo sit agnita, illam quam colit, consuetudinem, ac ecclesiasticam praxin ex apostolico fonte originem ducere, ac S. Petri Apostolorum Principis ejusque in Cathedra proxime successorum institutioni esse adscribendam, constans est opinio, Sanctis Patribus probata; nec est Ecclesia, quae tanta cura tantaque diligentia semel admissum, nunquam remissum ordinem aut priscam observantiam describi curavit, exemplar inde facta omnium aliarum Ecclesiarum. Confer, si lubet. Diurnum Roman. Pontificum ac Ordines Romanos a Pamelio, Hittorpio ac Mabillonio vulgatos. Minima haec sunt, et tamen ab iis recedere, haud minimum habitum est piaculum, quid ergo in majoribus, quae influere solent in ipsam rem sacramentalem ac tangere possunt fidei veritatem? Quis facilem, quis inconstantem in iis unquam audit Romanam Ecclesiam, quis timidam vidit? Cum ergo Sedes apostolica super his omnibus favente Domino, quae paternis canonibus sunt praefinita, pio devotoque studeat tenere proposito; satis indignum est quemquam vel Pontificum vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam b. Petri sedem et sequi videat et docere; satisque conveniens sit, ut totum corpus Ecclesiae in hac sibi observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiae totius posuit principatum. \*)

---

\*) Gelasii Epist. 9. Tom. III. oper. Leou. pag. 412.

Caeterum apud hanc Ecclesiam, ad quam universa Christianitas ex toto terrarum orbe difficillimis in negotiis semper consuevit confugere, immensum requiescere quis dubitat, observationum et experientiarum thesaurum, codicem locupletissimum casuum et resolutionum, in quo, quae regio quaelibet aut provincia, quae Episcopus quilibet, aut Imperator aut civis dubia proposuit, responsa accepit, accurate notata leguntur. Clavem hujus thesauri pro officio gerit supremus in terris Christi Vicarius, qui aperit et claudit codicem, aliisque ex eo resoluta promulgat. Quem ergo nodum praesentia nectit, hunc a Majoribus resolutum refert codex et ad eum suos remittit praesens Claviger Gregorius XVI. Optime igitur de antiquitate, constantia et legitimatione praxis alicujus ecclesiasticae testimonium judiciumque ferre potest Ecclesia Romana, testimonium *Urbis* ejusmodi in rebus testimonium est *Orbis*, et si inveniamus, praxin viguisse constanter et vigere adhuc in Urbe, recte concludere licet, eam quoque totius esse Orbis.\*)

III. Evanescit inde, me iudice, quam nuperi excogitarunt, futilis hac in re distinctio, qua *praxin Ecclesiae* discernere volunt a *praxi in Ecclesia*. Geminam dari quandoque praxin, universalem et particularem nemo negabit, qui primoribus tantum la-

---

\*) Hoc solum argumento innumerac pene sunt finitae lites, quas enumerare longum esset. Sic de celebrando Paschate causa a Papa Victore decisa; sic Liberius Epist. 4. Nr. 3. ad Constantium professus, se esse secutum morem ordinemque majorum etc.

bris theologiam degustavit. Universalis fundatur in consona omnium aut pene omnium Ecclesiarum, in quibus Romana eminet, circa idem consuetudine et observantia, particularis particulares quasque respicit Ecclesias. Quemadmodum vero id, quod universale est, particulari plerumque praeponderat; ita et major sine dubio est auctoritas praxeos Ecclesiae universalis, quam particularis; major Ecclesiae Romanae ut Capitis, quam alicujus provincialis ut membri. Sed nec quamcunque universalam praxin gaudere infallibilitate, fatendum est, sed ratio objecti quam maxime attendenda est, quod si adiaphorum aut mere disciplinare est, quosdam ritus, non autem fidem aut mores attingens, subjacet mutationi ac fallibilitati; secus est, dum de re fidei ac morum agitur. Hoc in casu praxis universalis, secum portat testimonium ac quasi approbationem universae Ecclesiae dispersae, cui Christus Spiritus S. assistentiam ac infallibilitatem promisit. Vi hujus promissionis minime permittet, totum Episcoporum fideliumque coetum quidquam credere velut verum quod falsum est, vel quidpiam Capite consentiente approbare et sectari ut bonum, honestum et licitum, quod malum est et a Deo prohibitum. Huc pertinet, quod S. Augustinus ad Januarium \*) scripsit: «Si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, quin id faciendum sit, disputare insolentissimae insaniae est.»

---

\*) Epist. 54. Tom. II. pag. 126.

IV. Quisquis ergo, ut iterum utar verbis Augustini<sup>\*)</sup>, falli metuit hujus obscuritate quaestionis ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sacra scriptura demonstrat: praxin, inquam, consulat Ecclesiarum ac praecipue Romanae, quam facile invenimus vel apud praepositos, qui ut Vincentius ait<sup>\*\*</sup>) integram divini cultus scientiam vel habere ipsi debent et aliis infundere, vel apud Episcoporum Consiliarios ac Consistoriorum Assessores, quorum munus est provinciarum consuetudines traditionesque ecclesiasticas cognoscere ac custodire, vel apud Theologos ac Juris consultos, qui ea, quae moris et doctrinae sunt ecclesiasticae, referunt. Quod habemus Episcopos, omni scientiarum genere ornatos vitaeque sanctitate celebres, qui hanc praxin non solum in Synodis ac editis libellis<sup>\*\*\*</sup>) testantur sed et ipsi observarunt, quos

\*) Libr. I. contr. Cresconium Cap. 59. Tom. IX. pag. 408.

\*\*) Commonitor. Cap. 27. edit. Klupfel pag. 199.

\*\*\*) Conf. Concil. Provinciale Coloniens, de anno 1356. in Enchirid. Christ. doctrin. fol. CCVIII. — Concil. Moguntin. de anno 1549. in Institut. christ. de Sacrament. Matrimonii. — Concil. Limense III. a Sixto v. confirmat. Act. II. Cap. 10. ubi legimus: «De iis, qui jam matrimonio juncti convertuntur ad fidem, conjugē adhuc infideli permanente, consultum est, ut si infidelis spem suae conversionis maturam ostendat, christianus nullo modo ad alias nuptias transeat, quemadmodum sacris Canonibus est definitum, sed conjugis lucrum in Christo expectet. Si vero differat conversionem suam, neque tamen baptizato conjugī perniciosus existat, cum a fide avertendo (ceterum id cum fit, sacri Canones eos necessario separandos volunt, et Christiano novi conjugii ineundi potestatem tribuunt) tunc et expectandum adhuc esse per semestre tempus, assidue de sua interim conversione admonendus.

inter Venerab. Bellarminus, S. Carolus Borromaeus plerumque alii. Ex Consultoribus suffieit nominare celeberrim. Antonium Augustinum, et quem supra laudavimus, Consiliorum Patrem Antoninum. Jurisconsultos et Canonistas sicut et Theologos novimus ex omni natione, Gonsalezium, Vanespenium, Bernardum, Cavallarium, Reiffenstuel, Ferraris, et Suarezium, Sanchezium, Herinx, qui et Episcopus fuit Iprensis, Tournelium vel potius ejus Continuatorem Collet, qui hanc praxin nominat totius Ecclesiae sententiam \*) et ex novissimis Aloys. Adalb. Waibel, qui in Tractatu de Matrimonio \*\*) scribit: Nebst dem angeführten öffentlichen canonischen Gesetze verdient hierin die alte Harmonie der Gottesgelehrten gewiss auch Aufmerksamkeit. Die lange Praxis der Kirche ist auch hierin, wie in allem, unserer Beachtung werth. Deswegen bleibe ich bei dieser Ansicht, ob ich gleich weiss, dass in neuern Zeiten es unter deutschen Katholiken auch solche gab, die sich viel Mühe machten, diese Meinung zu verdrängen. In Rom denkt man einmal so; wir irren viel eher, wenn wir unser Augenmerk auf das aufklärungssüchtige Deutschland heften. Confer quoque Liebermann Institut. dogmatic. Tom. IV. P. II pag. 486. et novissimam edition. Cla. Stapf. Sufficeret pro praxi Romana

---

\*) Praelection. Theologie. Tom. X. edit. Colon. 1765. pag. 215. Nro. 47.

\*\*) Dogmatick der Religion Jesu Christi. XXIV. Abhandlung. Von dem Sacramente der Ehe. Augsburg 1850. pag. 66.

citare Pittonii Constitutiones Pontif. et Roman. Congregation. decisiones ad matrimonium spectant. Venetiis 1725 — et Comitibus Zamboni Declarationes Cardinalium etc. sed de Constitutionibus Pontificum Roman. agemus §. 2. fusius.

V. Variam quidem observamus praxin circa ipsum dissolutionis matrimonii terminum; quae variatio tantum abest, ut frangat Ecclesiae disciplinam quin potius eam consolidet ac confirmet. Cla. Sanchez tres constituit hujus variationis epochas. 'Tria, inquit'), saecula distinguenda sunt. Primum est ab Apostolorum tempore et sexcentis postea annis; quo spatio frequens erat conversio et Judaeorum et quorumvis aliorum infidelium: atque ideo permittebatur eo tempore, juxta consilium D. Pauli I. Cor. VII. habitatio conjugis ad fidem conversi cum infideli propter spem ejus conversionis, quando habitare volebat sine contumelia nec pertrahens fidelem ad peccatum. Et eo saeculo floruit D. Augustinus, relatus Cap. Si enim XXVII. q. 2. et ita tenuit hanc partem. Secundum saeculum subsecutum est, quo rarissime Hebraei ad fidem reducebantur erantque pervicaciores in sua perfidia: quo tempore edita est Constitutio Synodi Toletanae, qua decretum est, ne uxores fideles habitare permitterentur cum Judaeis fidem admittere renuentibus: at de caeteris fidelibus nihil ibidem statutum est, quod non ita obstinati in sua perfidia essent,

---

) De Matrimonio Disp. 73. Num. 12. Tom. II. pag. 233. edit. Antverpiens 1652.

ut merito eorum conversio desperanda esset. Tertium tandem saeculum successit, quo Ecclesiae consuetudine receptum est, ac praeceptum inductum, ne conjux ad fidem conversus permittatur cum infideli cujuscunque sectae habitare. Quia successu temporis experientia docuit, non modicum perversionis periculum imminere conjugii alteri fideli ex infidelis consortio. Neque is ecclesiasticus mos adversatur consilio D. Pauli, quia praecepta humana, nedum consilia, possunt necessitate id suadente variari successu temporum, ut habetur Cap. *Non debet. De Consang. et Affinit.* Quare hodie non licet in christianis Regionibus alterutri conjugii fidem profitenti permanere in consortio conjugis infidelis, sed tenetur ab eo nolente ad fidem converti, divertere, quantumvis possit absque Creatoris contumelia habitare. Et ratio diversitatis hujus est, quod initio nascentis Ecclesiae tam efficax gratia et effectus ad fidem in tyronibus fidei erat, ut formidanda minime esset eorum perversio, quin potius probabilissime speranda infidelis conjugis conversio ex fidelis consortio; quae refrigerescente postea charitate et fervore mutata sunt. Huæusque Sanchez.

Quoniam jam facta est mentio quarti sub Isidoro Sancto Hispalensium Archiepiscopo habiti Concilii Toletani, cujus canones libro XII. Wisigothorum Legis confirmantur, praestat extrahere illud de mixto judaei et Christiani connubio Capitulum, quod est ordine sexagesimum tertium. «Judaei, qui Christianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab episcopo civitatis ipsius, ut si cum eis



permanere cupiunt, Christiani efficiantur. Quod si admoniti noluerint, separentur: quia non potest infidelis in ejus permanere conjugio, quae jam in Christianam translata est fidem. Quod haec ultima verba omni modam innuant vinculi conjugalis diruptionem, nemo in dubium vocabit, qui Wisigothorum contra Judaeos editas leges vel a limine salutavit. In iis etiam praecipitur, ut si quis Judaeus sive Judaea noviter nuptiale festum celebrare voluerit, non aliter quam cum praemisso dotis titulo, quod in Christianis salubri institutione praeceptum est, vel sacerdotali benedictione intra sinum sanctae Ecclesiae percepta, conjugium cuiquam ex his adire permittatur. \*) Praeterea haec canonis constitutio facta est in favorem partis conversae, cui et aliud propterea concedendum erat conjugium, cum alias hac praecepta separatione graviori quam ipse Judaeus multaretur poena. Quid igitur? Igitur saeculo VII. ineunte viguit in Hispania mos, ejusmodi matrimonia solvendi.

### §. 2.

#### *Argumentum ex Decretis et Constitutionibus Romanorum Pontificum.*

I. Posita firmiterque aedificata una retractationis nostrae columna, erigamus alteram, quae aequè solidis splendidisque componitur argumentis, ac suum repetit fundamentum a promissionibus divo

\*) Libr. XII, Titul. III, Nr. 10.

Petro a Jesu Christo factis, quae a primo Capite ascendere pergunt usque ad ultimum, quo clauditur visibile in terris Ecclesiae regimen. Intelligis, Lector benevole, de quibus erit hic sermo; de decretis nempe ac Constitutionibus Romanorum Pontificum, qui si pro dissolubilitate nostri matrimonii suum votum ac responsum publice dederint, causam catholico ordine fateamur, esse decisam ac absolutam. *Id enim credimus Catholicum, quod religioso Pontificum Romanorum responso fuerit intimatum,* ut olim Augustus Imperator Justinianus scribebat ad Hormisdam Papam. Certissimum est, Rom. Pontificum Constitutiones, Responsa ac Decreta sententiasque publice enatas et propositas semper in tota Ecclesia valuisse ac valere ut S. Spiritus oracula, quoties de fide explicanda, de moribus formandis aliisque de rebus ad fidem aut mores pertinentibus tractandis aut dubiis resolvendis agatur. Ex auctoritate muneris recte infallibilis deducitur Auctoritas loquentis, cum Dominus Jesus Christus pro non defutura Petri fide se rogaturum sponderit. Hoc assertum post Orsium, Ballerinium, Mamachium, Zambonium aliosque millenos stabilire documentis, superfluum putamus.

Quod autem illam auctoritatem egregie promovet, est quod ipsi Pontifices raro quidquam majoris momenti e propria sententia decidere soleant, sed collecta plerumque Episcoporum Synodo, ita ut responsum non videretur alicujus singularis personae, sed potius sedis apostolicae et per Caput totius Ecclesiae. Exemplum sequuntur in hoc ipsius S.

Petri, qui emersa Antiochiae controversia alios convocaverat Apostolos pro causa decidenda. *Convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc. Act. XV. 6.* Unde et antiqui et hodierni Pontifices Rom. confitentur in suis responsis, quod non nisi tractatu cum collegis habito aut acta cum pluribus Episcopis Synodo, aut audito Cardinalium consilio, ac invocato prius Spiritu sancto causam decidere ausi fuerint, id quod multis monumentis demonstrat Cla. Constantius in Praefat. ad Epist. Roman. Pontificum pag. XXXII.

Deinde, ut praeclare scribit Cla. Zamboni \*), cum ad divi Petri tumulum conventus agerent Pontifices, disceptarent causas, decreta sua sancirent, admonebantur, ut professi sunt ipsi non semel, esse se in Petri oculis; atque adeo non ex suis ipsorum sensibus, sed ex unis Petri arbitriis res esse decidendas. Praeterea quoties mittebant (mittebant autem saepius) qui fidei lucem nationibus exteris inferrent, toties illis regendarum ecclesiarum documenta sibi a Petro data tradebant: quibus et ipsi saepius recolendis fiebant apostolicarum legum tenaciores. Huc accedebant Orientis Occidentisque consultationes, ad quas ut responderent, inspiciebant tanquam in speculum, in fidem sanctionesque majorum; providebantque ne quid rescriberetur novi, quo vel minimam labem pati posset apostolicae traditionis integritas. Hanc agendi

---

\*) In Supplement. Introduction. pag. XXXVII. Tom. VIII.

decidendique potestatem in ipsa divina radicatum esse ecclesiastici regiminis institutione, qui ignorat aut dubitat, adeat eruditissimum opus D. Mauri Capellari, nunc sub nomine Gregorii XVI. Summ. Pontif. feliciter regnantis, quod inscribit: *Triumphus sedis apostolicae et Ecclesiae.*

II. Summam inerrantiae apicem adipiscitur Rom. Pontificis Rescriptum quanquam ad particularem personam aut in casu particulari datum, si absque cunctatione ulla et dubitatione ab universa admissum fuerit Ecclesia, aut in vim legis generalis et doctrinae catholicae transierit, juxta quam agerent docerentque Episcopi, ac suprema Ecclesiae tribunalia in causis ad mores aut sacramentorum valorem et administrationem spectantibus definirent, ipsaque lex a successoribus in Cathedra Petri sit approbata. Sic enim error gravis, si possibilis esset, in ipsam redundaret ecclesiam eamque mox deciperet, ut pro vero coleret falsum et pro bono sectaretur malum. Error enim, cui non resistitur, approbatur, ut Innocentius Papa ait *Dist. 28. C. Error.* et veritas cum non defenditur, opprimitur. Sicque Ecclesia universa facile deploraret se esse in re gravi ad morum informationem aut Sacramentorum valorem pertinente corruptam et depravatam ab ipso Capite, consentientibus Episcopis ac doctrinae Magistris. Atqui hoc si possibile admittatur, Deus ipse in necessariis Ecclesiae populoque christiano deesset. Quid enim facturus est populus Christianus, nisi eos sequi, quos spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei,

ae constituit ecclesiasticae doctrinae magistros. morumque rectores? Quam observaturi sunt regulam causarum iudices, nisi eam, quam lex praescribit, et omnis observat Ecclesia? En! Abyssus abyssum invocaret universalisque exoriretur in rem ecclesiasticam perturbatio.

III. Accedamus propius datamque crisis nostro applicemus casui. Gratianus, vulgatissimus Canonum Compiler Part. II. Decreti Caus. XXVIII. tres proposuit quaestiones, quarum argumentum hoc erat. •Quidam infidelis in conjugio positus ad fidem conversus est: uxor vero odio fidei christianae ab eo discessit. Ille quandam fidelem in uxorem accepit, qua mortua Clericus efficitur. Tandem vitae et scientiae merito in Episcopum eligitur. Hic primum quaeritur, an conjugium sit inter infideles; secundo an liceat huic aliam ducere priore vivente; tertio an sit reputandus Bigamus, qui ante baptismum habuit unam et post baptismum alteram. • Secunda quaestio nostrum continet casum, ejus tamen viam sternit prima. In quaestione prima Gratianus pro sua methodo varios inter se pugnantibus Canones ex Ss. Patribus et Conciliis profert; tandem resolvit, matrimonium existere inter infideles, non tamen ratum sed tantum legitimum. •Conjugium enim, inquit, aliud est legitimum et non ratum, aliud ratum et non legitimum, aliud legitimum et ratum. Legitimum conjugium est, quod legali institutione vel provinciae moribus contrahitur. Hoc inter infideles ratum non est, quia non est firmum et inviolabile conjugium eorum. Dato

enim libello repudii, licet eis recedere ab invicem et aliis copulari lege fori, non lege poli, quam non sequuntur. Inter fideles vero ratum conjugium est, quia conjugia semel inita inter eos, ulterius solvi non possunt. Horum quaedam sunt legitima, veluti cum uxor a parentibus traditur, a sponso dotatur, et a sacerdote benedicitur. Haec talia conjugia, legitima et rata appellantur. Illorum vero conjugia qui contemptis omnibus illis solemnitatibus, solo affectu aliquam sibi in conjugem copulant, hujusmodi conjugium non legitimum sed ratum tantummodo esse creditur.

Distinctionem hanc non ex tripode sed ex antiqua ecclesiastica sumpsisse Gratianum consuetudine, facile demonstrare possemus, si tempus et otium liceret, modo sufficit annotasse, quod hic *legitimum* Gratianus nominat, apud antiquos saepius venire sub nomine *publici*; et quod Tertulliano vocabulo *ratum* dicitur, idem est quod apud antiquos *sacrum* seu *sacratum*, id est: ab Ecclesia benedictione sacra ratificatum.

Secundam quaestionem breviter resolvit Cratianus, primo rationes dubitandi proponens ex Ambrosiastro et Concilio Meldensi; dein ex eodem Ambrosiastro, quem sub titulo S. Gregorii citat, ostendens, licere vivente priore ducere alteram, ubi tamen iterum distinctionem adfert. Hic distinguendum est, aliud esse dimittere volentem cohabitare atque aliud, discedentem non sequi. Volentem enim cohabitare licet quidem dimittere, sed

non ea vivente aliam superducere: discedentem vero sequi non oportet, et ea vivente aliam ducere non licet. Verum hoc non nisi de his intelligendum est, qui in infidelitate copulati sunt. Ceterum si ad fidem uterque conversus, vel si uterque fidelis matrimonio junctus est, et procedente tempore alter eorum a fide discesserit, et odio fidei conjugem dereliquerit; derelictus discedentem non comitabitur: non tamen illa vivente alteram ducere poterit; quia ratum conjugium fuerat inter eos, quod nullo modo solvi potest. »

Haec Gratiani resolutio quanquam clara et decisa, tamen quia authentica destituta auctoritate, non plus valuit, quam alterius celebrioris Canonistae aut Theologi; potens vero est, Ecclesiae observantiam contestari. Gratianus enim etsi non semper sinceris usus fontibus et aliquando in errores litterarios lapsus, sinceram tamen tradidisse hoc in puncto doctrinam, praesumendum est, cum nemo Pontificum, nemo Episcoporum, nequidem ipsi Correctores Romani reclamaverint, immo plurimi Pontifices remittendo ad Caus. XXVIII. Gratiani resolutionem suam fecerint.

Innocentius III. sane, quem celebriores Canonistae novi juris parentem salutant, ab Episcopo Ferrariensi interrogatus de nonnullis causis matrimonialibus, ad Gratianum recurrit, et inde datam resolutionem authenticam fecit. Responsum enim Innocentii corpori juris ac codici Canonum legitima auctoritate insertum est, sicque assentientibus

Episcopis ac Juris Doctoribus in vim legis transiit ecclesiasticae, ac a multis successoribus in Cathedra Petri est approbatum. Licetne sine erroris periculo deviare eamque sine culpa contemnere? — Sed deceptus est Pontifex — inquit Le Plat. Diss. cit. pag. 57. — a Gratiano, Gratianus ab Ambrosiastro, quem putavit esse Gregorium M. — Quasi vero Parens novi juris non alium quam communem novisset Canonum Compilatorem Gratianum nec alias sui Responsi habuisset ac dedisset rationes! Audiamus ejus responsum. • Quanto te magis novimus in canonico jure peritum, tanto amplius in Domino commendamus, quod in dubiis quaestionum articulis ad sedem apostolicam recurris, quae disponente Domino cunctorum fidelium mater est et magistra, ut opinio, quam in eis quondam habueras, dum alios canonici juris peritiam edoceres, vel corrigatur per sedem apostolicam vel probetur. Sane tua nobis Fraternalitas suis litteris intimavit, quod altero conjugum ad haeresim transeunte, qui relinquitur, ad secunda vota transire desiderat et filios procreare; quod utrum possit fieri de jure, per easdem litteras nos duxisti consulendos. Nos igitur consultationi tuae de fratrum nostrorum consilio respondentes, distinguimus, licet quidam Praedecessor noster sensisse aliter videatur, an ex duobus infidelibus alter ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit. Et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: *Si infidelis discedit,*



*discedat; frater enim vel soror non est servituti sub-*  
*jectus in hujusmodi: et Canonem etiam, in quo dici-*  
*tur, quod contumelia Creatoris solvit jus matrimo-*  
*nii circa eum, qui relinquitur.» Caetera quae in*  
*responso sequuntur, directo attingunt casum ab*  
*Episcopo propositum de eo qui in haeresim lapsus*  
*est, ubi et occurrit distinctio inter matrimonium*  
*legitimum et ratum. Inquiramus nunc singulos da-*  
*tae Responsionis articulos. Quaerit Jurisperitus*  
*Episcopus, qui prius multis annis publice Juris-*  
*prudentiam docuit. Eum ergo in responsione ad*  
*Canonem Codicis, quem sine dubio praelegerat olim*  
*ipse Episcopus, rectissime remittit Pontifex, quin*  
*tamen eo utatur canone tanquam unico decisionis*  
*suae fundamento, sed tanquam ratione confirmante.*  
*Pro primario fundamento citat Innocentius locum*  
*classicum S. Pauli Apostoli eumque explicat sua su-*  
*prema, qua pollet, interpretandi auctoritate, dicens:*  
*Et in hoc casu intelligimus; et quidem de fratrum*  
*suorum consilio, id est, accitis in consilium Ec-*  
*clesiae Rom. Cardinalibus, Episcopis et aliis peri-*  
*tissimis Consultoribus, unde hujusmodi decisio et*  
*responsio quasi occumenicam obtinet in re hac dog-*  
*matica legitimationem. Causa enim sive quaestio*  
*quae discutitur, non spectat ad mutabilem discipli-*  
*nam, sed ad jus divinum, ad rem sacramentalem,*  
*ad validitatem duplicis matrimonii, unius quod dis-*  
*solvitur, alterius, quod initur. Testatur autem idem*  
*ipse Innocentius Cap. *Accedens. Ut lite cont.* Sedem*  
*apostolicam in rebus matrimonialibus esse rigidissi-*  
*mam, dicens: Cum in matrimonialibus causis non*  
*tam ad disjungendum quam ad conjungendum debe-*

amus existere proniores, ne forte, quod Deus conjunxit, homo separare praesumat. Tandem postquam illud pontificium Rescriptum in ecclesiasticum Codicem fuerit relatum, ac ab universa admissum Ecclesia, consentientibus per orbem confirmantibusque id praxi sua Episcopis, nec non approbantibus aliis summis, quos infra dahimus, Pontificibus, lex facta est authentica et ecclesiastica doctrina, a qua, sicut ab aliis legibus ac doctrinis, secedere, piaculum reputatur.

Purgemus nunc nos met ipsos et manu fortiori tollamus, quae leviori olim in Mantissa nostra opposuimus; nec pudeat nos, dextera evertere, quae nimis praecipitanter conguessimus sinistra. Diximus, Innocentium III. novum hoc responso constituisse jus cum ipsemet fateatur, quod quidam Praedecessor aliter senserit, vel ut Collectio III. \*) apud Antonium Augustinum habet; *licet quidam Praedecessores nostri sensisse aliter videantur*. Ante Innocentium ergo aliter hac in re judicatum fuisse videtur. Dein casus sive resolutio de dissolubilitate ejusmodi matrimonii incidenter adposita est, cum de eo non quaesierit Episcopus Ferrariensis; puncta autem incidentia maxime in Responsis Pontificum esse distinguenda a directis resolutionibus, nec irrefragabilis esse auctoritatis, cum ea quandoque nitantur Scholasticorum opinionibus. Tandem Pontifex fontem, ex quo ipse hausit cum suis fratribus decisionem, non neglexit assignare, qui Gratiani Codex

\*) Tit. XIV. pag. 392. edit. parisiens. 1609.

est; non ergo majoris pretii decisio esse potest, quam ipse fons; spurius autem cum hic sit Ambrosiastri foetus, abeat, necesse est, incidentalis animadversio. — Primum levissimo flatu dispergimus. Sive sit Coelestinus III., ut Glossa ordinaria citat, sive Urbanus III., ut nonnulli cum Pithoeo volunt, ad quem alludit Innocentius; neuter de casu nostro loquitur, sed de eo principaliter, quem proposuit Episcopus Ferrariensis: an nempe matrimonium inter fideles consummatum dissolvatur per lapsum unius in Paganiam aut haeresim. Nec Innocentius dicit, quod Praedecessor revera aliter resolverit, sed quod *aliter sensisse videatur*, quare multi Eruditi Coelestinum contra Alphonsum a Castro et Bossuetum ab errore purgant. Legendus praeprimis Cla. Orsi De R. Pontif. Auctoritate Libr. III. Cap. 41. pag. 260. — Nec majoris ponderis aliud est effugium. Tantum enim abest, ut nostri casus resolutio sit in Rescripto Pontificis punctum incidens aut extra materiam propositam, ut potius qua basis totius Rescripti sit habenda. Ferrariensis enim Episcopus interrogavit, an per lapsum in haeresim aut Paganiam, matrimonium fidelium consummatum dissolvatur, eo modo qua matrimonium inter infideles consummatum dissolvatur per conversionem unius partis ad fidem. Ut igitur Pontifex *in forma Jurisperito* Episcopo respondeat, necesse fuit, prius solidum construere fundamentum, et sic primo decidit, matrimonium infidelium consummatum, quod quidem legitimum est sed non ratum, dissolvi per conversionem alterius partis, si pars infidelis recuset cohabitare sine Contumelia Creatoris. Rationem

decisionis sumit ex edicto S. Pauli Apostoli, remittendo insimul ad Canonem Codicis Gratiani. Haec igitur responsio basis est subsequentis, quae equidem magis ad propositum Episcopi quaerentis. • Si vero alter fidelium conjugum vel labatur in haeresim vel transeat ad gentilitatis errorem; non credimus quod in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare, licet in hoc casu major appareat contumelia Creatoris. Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum et ratum existit; quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret. — Nec haec Resolutio, uti tertio objicitur, exacte sumta est ex Gratiano quam Pontifex alludat ad aliquem Canonem Gratiani, quia cum Jurisprudentiae Doctore loquitur, multo minus ex Ambrosiastro, sed suum fundamentum habet in Auctoritate Docentis in Cathedra Petri summi Pontificis cum concilio fratrum. Nec inde deprimenda est auctoritas supremi Doctoris ac Sedis apostolicae, quod aliquando Epistolis decretalibus intermiscantur suppositiorum aut spuriorum operum citationes, cum unice doctrinam respicere solent Pontifices, non ipsos Auctores, quod magis ad Criticam pertinet.

Lotis sic manibus transeamus ad Successorum in sede apostolica alia constituta, quibus priores decisiones et approbantur et dilucidantur. Plures Theologi, quos inter Veracrux, Sanchez, Collet

etc., afferunt Pii V. resolutionem Indorum matrimonia spectantem. Nos eam sumimus ex Tom. IV. Thesauri Resolution. Sacr. Congregationis Concilii, ubi pag. 56. Nr. 21. legimus. «Quod summi Pontifices aliquando dispensaverint, ut infidelis ad fidem conversus possit remanere cum ea uxore, quae fidem christianam amplexa est, derelicta prima, quae in infidelitate permansit, desumitur ex Brevi S. Pii V. expedito die 2. Augusti anno 1571, in quo cum exposuisset, Indos in infidelitate plures insimul habere uxores, *cum itaque sicut accepimus Indis in sua infidelitate manentibus plures permittantur uxores*, et aliquando dari casum, ut maritus convertatur ad fidem, et una cum marito uxor convertatur, non prima, sed alia, prima remanente in infidelitate, *sed quia durissima esset separare eos ab uxoribus, cum quibus ipsi Indi baptismum susceperunt, maxime quia difficillimum foret primam conjugem reperire*, ex apostolica benigne concessit, ut permanerent cum uxore, quae baptismum recepit, et hujusmodi matrimonium validum declaravit, *ut Indi, sic, ut praemittitur, baptizati, et in futurum baptizandi cum uxore, quae cum ipsis fuerit baptizata et baptizabitur, remanere debeant tanquam cum uxore legitima, aliis dimissis, Apostolica auctoritate tenore praesentium declaramus matrimoniumque hujusmodi legitime inter eos consistere sicque per quoscunque iudices et Commissarios iudicari et definiri debere.*

Dein N. 24. in eodem Thesauro pergitur. «Aliae occurrent litterae Gregorii XIII. in quibus exponitur, quod plures ex Angola, Aethiopia, Brasilia et aliis Indicis Regionibus, ab eis exterminantur,

ita ut proprias cogantur relinquere uxores. Exponitur, hos aliquando ad fidem christianam converti, et non posse interpellare conjugem fidelem, an velit converti. Facta hac expositione Pontifex ait, *idcirco nos attendentes hujusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censi, ut necessitate suadente dissolvi non possint, et deinde concedit non solum, ut contrahere possint matrimonium, et consummare cum muliere fideli, postquam summarie constiterit, non potuisse interpellare conjugem infidelem, ibi, ut eorum quilibet etiam superstite conjuge infideli et ejus consensu minime requisito, responso non exspectato, matrimonium cum quovis fideli alias tamen rite contrahere, et in eis postea carnali copula consummatis quoad vixerint, remanere licite valeant, dummodo constet eis summarie, hoc est Missionariis, et extrajudicialiter, conjugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus eidem monitioni praefixum suam voluntatem non significasse, sed ad ulteriora procedendo, valida et firma declaravit haec matrimonia contracta ab infideli converso cum muliere christiana, etiam si deinde probaretur primam conjugem non potuisse justis de causis suam voluntatem explicare, et etiam, quod ipsa non erat infidelis sed fidelis tempore secundi matrimonii contracti, ibi, quae quidem matrimonia, etiam si postea innotuerit, conjuges priore infideles suam voluntatem juste impeditos declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida et firma esse.*

Sub Pontificibus Clemente VIII. et Paulo V. casus iterum sacrae Congregationi Concilii propositus, et testibus Benedicto XIV. ac Pittonio eodem modo decisus est. Tenorem resolutionis datae 23. Januarii 1603. ex libro X. Decretor. pag. 33. refert idem Benedictus XIV. \*) «Sacra Congregatio censuit ita respondendum, minime posse praedictos ad veram fidem conversos accipere alias fideles uxores, nisi prius constiterit utrum primae voluerint cum eis permanere, vel non. Quod si noluerint cohabitare, vel si voluerint, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut conversos ad mortale peccatum pertrahant, tunc posse eos alias fideles accipere uxores. Si cohabitare absque Creatoris contumelia velint, et absque eo quod conversos ad mortale peccatum pertrahant, quamvis veram agnoscere fidem noluerint, non posse conversos alias fideles accipere uxores. Non sufficere ea, quae proponuntur, nempe loci distantiam, difficultatem ac praesumptionem, cum constare debeat de voluntate ipsarum uxorem infidelium.» Iisdem vestigiis postea inhaerens ipse Benedictus XIV. ac paterna sollicitudine difficultates praeponderans, quae oriri possint ex requisita admonitione et interpellatione, an pars infidelis sine contumelia Creatoris cohabitare velit, novam anno 1743 edidit constitutionem, qua Nuntio apostolico Venetiarum facultatem tribuit dispensandi super interpellatione conjugum in infidelitate relictorum, eadem fere methodo, quam supra de Gregorio XIII. retulimus. Est haec con-

---

\*) Libr. XIII. de Synod. diacces. Cap. 2. N. 1.

stitutio ordine centesima decima septima Tom. I. Bullarii. Sed et in alia constitutione, quae est Tomi II. Bullarii XXVIII. de Baptismo Judaeorum, N. 58. tangitur ac consueto modo resolvitur casus pro dissolutione matrimonii.

Certum igitur esse, cum eodem Benedicto XIV. concludendum est, \*) infidelium conjugium ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concessio, et per Apostolum Paulum I. ad Corinth. VII. promulgato dissolvi, cum conjugum alter Christianam fidem amplectitur, renuente altero infideli, ut late docuimus, cohabitare eum converso.

III. Quare ergo Sacra Congregatio, inquiet forsitan nonnemo, in causa florentina Abrahae judaei qui prius cum quadam Ricca junctus fuerat, hae autem ad Christianismum conversa, quandam Blancam judaeam sibi sociaverat, dubitavit dissolutionem primi matrimonii definire, secundumque Abrahae cum Blanca declarare legitimum? — Dicam ex Actis hujus causae, quae refertur Tom. IV. Thesaur. Resolut. loc. cit. — Principalis difficultas fuit, quod Ricca post suam ad Catholicismum conversionem alias cum fidei minime inierit nuptias sed coelibem egerit vitam; cum igitur juxta mentem plurium Theologorum primum in infidelitate contractum matrimonium tunc dissolvatur quando pars facta fidelis ad aliud cum fidei convolet matrimonium, hinc merito dubitabatur, an secundum

---

\*) Libr. VI. de Synod. diaeces. Cap. 4. N. 3.



Abrahae cum Blanca contractum in Judaisimo conjugium legitimum validumque censendum sit, et etiam dissoluto hoc secundo, cum ambo ad fidem etiam conversi fuerint, Ricca prior uxor ad Abraham redire recusaverit, nec Blanca suum Abraham relinquere voluerit. Ne miremur ergo, quod nulla facta fuerit resolutio, cum nodi undequaque sese offerunt insolubiles. Caeterum ex iis, quae in Mantissa nostra attalimus, facile colligere licet, quod Sacra Congregatio de dissolutione matrimonii in infidelitate contracti sub notis conditionibus certa fuerit, nec ad momentum dubitaverit.

Attamen aliud adhuc est, quod ex ipsis Pontificum responsis et constitutionibus magno hiatu regerit saepius citatus Le Plat. Juxta Innocentii responsum, immo Benedicti XIV. datam constitutionem parti factae fidei licet ad alias transire nuptias, si infidelis eam ad peccatum mortale pertrahere conetur. Quamvis igitur infidelis absque blasphemia divini nominis consentiat conjugii converso cohabitare, modo tamen id agat, ut conversum ad mortale peccatum pertrahat, verbi gratia, ut latrocinia exerceat, liberum erit converso ad secunda vota transire.\*) — Ita plane et quidem ad mentem ipsius, quem pag. 25. citat Le Plat, Ss. Augustini, qui libr. *de Fide et operibus* docet: «Quam ob rem et illud quod dicunt, veluti probare cupientes quantum valeat sola fides, ubi Apostolus dicit: *Quod*

\*) Diss. cit. pag. 57.

*si infidelis discedit, discedat; non est enim servituti subjectus frater vel soror in hujusmodi; id est, ut propter fidem Christi etiam ipsa uxor legitima societate conjuncta, sine nulla culpa, relinquatur, si cum viro Christiano, propter hoc quia Christianus est, permanere noluerit: non attendunt eo modo illam rectissime dimitti, si viro suo dicat, non ero uxor tua, nisi mihi vel de latrocinio divitias congeras, aut nisi solita lenocinia, quibus nostram domum transigebas, etiam Christianus exerceas; aut si quid aliud vel facinorosum vel flagitiosum in viro noverat, quo delectata vel libidinem explebat, vel facilem victum habebat, vel etiam incedebat ornator.\*<sup>1)</sup> Et revera quaenam esset pacifica cohabitatio, ubi perpetua inter conjuges pugna? Vel enim agat pars christiana, quae petit jubetque infidelis, et Deum fidemque deserit faciendo injusta; vel non agat, et displicet conjugi oriturque pugna. In eo enim consistit contumelia Creatoris, quod ex eo, quod Christianus factus sit pertrahatur ad peccatum, non ad quodcumque communis generis, sed ad grave aut mortale, quod corrumpit exercitium christiani officii fideique opprimit vitam. Unde iterum S. Augustinus: "Sicut uxor jungitur viro, ut simul mereantur possidere regnum coelorum; ita uxor relinquenda esse praecipitur, si virum impediat ad possidendum regnum coelorum."<sup>2)</sup>*

<sup>1)</sup> Tom. VI. pag. 181. N. 23.

<sup>2)</sup> Libr. contra Adamant. Manichaeum Cap. 5. N. 2. Tom VIII. pag. 114.

Ab Apostolo etiam instruimur, ipso quem explicandum sumpsimus I. Corinth. VII. loco, tria esse naturalia hominum inter se et adversus Deum officia; quorum primum est hominum in Deum, alterum conjugis in conjugem, postremum filiorum in parentes aut parentum in filios. Haec sane officia certo ordine discreta invicem sunt, quorum nimirum aliud alio praestantius est ac nobilius, proptereaque aliud alii antiferendum. Nobilius sane est officium hominum in Deum, cujus causa, ubi opus sit, et liberi et conjuges sunt dimittendi, cum gravissimo sint offendiculo, quo spectat evangelicum praeceptum, quo jubemur, ut propter nomen Christi et uxorem et filios relinquamus, Matth. XIX. 29. Imo et cum Christus Dominus etiam jusserit, ut projiceremus a nobis pedem aut oculum, si in iis scandalizaremur, praeceptum eo ipse videtur, ut si scandalo uxor esset, ea quoque abjiceretur; neque alia ratione in Cap. II. Geneseos uxorem non abjiciendam esse a viro traditum est, quam quod uxor esset unum os ex ossibus viri et una caro cum viro. Post officia hominis in Deum succedunt officia viri in uxorem et uxoris in virum, et ista antiferuntur officiis parentum in liberos et liberorum in parentes, unde profluxit alterum naturale praeceptum a Deo expresse confirmatum in Cap. II. Geneseos: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae.* Quemadmodum igitur insuper habenda sunt officia parentum et liberorum, quando aliud postulant officia viri et uxoris, ita insuper habenda erunt officia viri et uxoris,

quando aliud postulant officia in Deum exhibenda. Neque dicas, in horum conspectu similem recipiendam fore disciplinam, ubi de conjuge alterutro haeretico aut a fide apostata agatur, aut etiam ubi talis sit conjux, qui in crimina alterum conjugem inducat. Etenim observo in primis, satis prospectum esse in his speciebus conjugii catholico et insonti, si cohabitatione tenus vitae rationem dissociet; deinde observo, non adeo facile trahi posse conjugem in fide et proba doctrina altum educatum in errores et crimina conjugis apud haereticos aut extraneos quoscunque deficientis, quemadmodum trahi posset, qui post conjugium in infidelitate contractum educatus olim apud infideles recens baptis- mate ablutus est et Christo regeneratus.

Haec sanioris doctrinae principia, quae hausimus ex nobilissimi Taurinensis Canonistae Caroli Sebast. Berardi Commentariis in Jus ecclesiasticum,\*) apprime apta sunt, ad reserandum Dissolubilitatis ejusmodi disparis matrimonii mysterium. Nexus enim hominis fidelis cum Deo firmior quocunque alio sit oportet; firmior autem facile rumpit levio- rem. Quanquam igitur indissolubilis agnoscatur etiam inter infideles conjugalis nexus, ita ut per nullum disrumpi valeat hominem; disjungi tamen valeat a Deo, qui illum levio- rem condidit nexum. Naturalis sane planeque indissolubilis est parentum cum liberis nexus, sed quia firmior illo conjugalis

---

\*) Tom. III. Diss. 7.-Cap. 3. pag. 133. edit Venet.

est, ideo relinquet homo patrem et matrem, et adhaerabit uxori suae. Egregie hoc mysterium illustrat div. Chrysostomus homil. XX. in Cap. V. Epist. ad Ephesios \*) ubi ostendit, sicut conjuges una caro sint indissolubiliterque a Creatore conjuncti, ita fideles, quia membra sunt corporis Christi, de carne ejus et ossibus ejus, firmiter Deo coadunati habentur.

Quaerere amant alii sibi praesidium in declaratione praestantissimi in Concilio Tridentino Theologi, Petri de Soto, quam adfert Paulus Sarpi, alias Petrus Suavis in sua Historia Concilii Tridentini. \*\*) Hic non veritus dicere, meliorem esse sensum Cajetani, quod illa etiam S. Pauli separatio fidelis ab infideli, non intelligatur quoad vinculum matrimoniale; atque rem esse de Synodo diligenter considerandam. — Haec, quae a Soto narrat *ψευδοπλαστης* Suavis, ignorant omnes alii, quotquot de Concilio Tridentino scripsere, nec inter articulos Theologis a Patribus Tridentinis propositos unus recensetur casum nostrum tangens. Immo haec Suavis relatio aperte adversatur menti ac voto Petri Soto. In voto enim, quod dedit de indissolubilitate matrimonii in casu adulterii, die Veneris XII. Februarii 1565. eam tuetur contra Cajetanum sententiam, quae nostrae maxime similis est. Respondit ad id, quod Cajetanus contra hanc veritatem dicit, negans decreta Pontificum, quod nullo modo facere

\*) Tom. XI. pag. 146. N. 3.

\*\*) Libr. VII. pag. 1136.

debuisset. Nam Romanorum Pontificum definitiones rejici non possunt, cum praesertim accedit universalis Ecclesiae consensus, ut in casu nostro.\*<sup>1)</sup> Quis credet, Theologum Soto in eodem voto sibi ipsi contradixisse, aliaque pro uno quam pro altero casu statuisse principia. Quodsi tamen Suavis vera retulisse, omnino quis tueri velit; unius Theologi non multum curamus opinionem, cum nubem opponere possimus majoris celebritatis nec minoris ingenii Theologorum. — Sat verborum. •Quis enim disceptandi finis erit et loquendi modus, si respondendum esse respondentibus semper existimemus. • S. Augustin. Libr. II. de civitate Dei. Cap. I. Tom. VII. pag. 51.

### *C o n c l u s i o .*

Quemadmodum docente Clemente Alexandrino\*\*), manifestum est, unam veram esse Ecclesiam in unitate fidei et doctrinae, et quae Catholica est, eam esse antiquissimam; sic quoque manifestum est, eam doctrinam docuisse antiquissimam Ecclesiam, quam docet hodierna Catholica. Si enim diversam et huic quam docet hodierna, contrariam docuisset antiqua, non una sed varia esset Ecclesia Catholica et antiqua. Quare cum a multis retro saeculis hodierna Ecclesia — quae consistit in Capite seu Centro Unitatis et Episcopis — docens practicavit

---

<sup>1)</sup> Acta Concilii Tridentini apud Martene Tom. VIII. Collect. ampliss. Monumentor. pag. 1515.

\*\* ) Libr. VII. Stromat. §. 17. pag. 399. edit. Potteri.

et praedicans docet, matrimonium infidelium, si una pars convertatur ad catholicam Religionem, renuente altera infideli cohabitare pacifice, esse dissolubile, concludendum est, ejusdem sententiae fuisse Ecclesiam antiquissimam, et secure agimus si huic sententiae nos tanquam membra Capiti totoque Corpore adjungimus. Cum Capite enim totoque Corpore Ecclesiae errare non possumus, sed erudimur, radicamur ac in sana doctrina perficimur.

**Omnia subjecta sunt judicio Sanctae Ecclesiae Catholicae.**

---

et translatus est, et in medium iudicium, et  
 cumque convenerit ad ecclesiam Hierosolymitanam, et  
 quibusdam aliis iudeis, et quibusdam gentilibus, et  
 quibusdam discipulis, et quibusdam sacerdotibus,  
 et quibusdam magistratibus, et quibusdam  
 et hinc translatus est in domum supra capitulum  
 iudeorum, et quibusdam magistratibus, et  
 quibusdam sacerdotibus, et quibusdam  
 et quibusdam magistratibus, et quibusdam  
 quibusdam magistratibus, et quibusdam  
 quibusdam magistratibus, et quibusdam

Omnis ergo congregatio iudeorum et gentium  
 congregata est in ecclesia, et quibusdam